UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

De Veteri Eloqventia Liber Primvs. De Optimo Genere Eloqventiæ, Et huius operis instituto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68724

Visual Library

# DE VETERI ELOQVENTIA LIBER PRIMVS.

## *DE OPTIMO GENERE ELOQVENTIAE, ET huius operis inſtituto.*

### PRAEFATIO.

INOLEVIT nonnullorum mentibus nimis iniqua fortaſſe, ſed quę à viris non vulgariter eruditis defenſa eſt perpugnaciter opinio, eloquentiam naturę, atque ingenii viribus totam potius efferueſcere, quàm vllis artium pręceptionibus contineri. Enimuerò fateri oportet multum in cęteris, in eloquentia verò plurimum valere præſtantis ingenii felicitatem, aſſidua præſertim exercitatione corroboratam, ſed eam ſine artis, & diſciplinæ perpolitione, neceſſe eſt impingere in frequentiſſimos errores temeritatis: Neque enim exiſtimandum eſt artium vel minimarum præcepta quędam extare; eloquentiæ, quæ vna cęterarum Regina eſt diſciplinarum, tanta temporum diuturnitate, clariſſimorumque ingeniorum luce celebrata, obſeruationes nullas eſſe, quibus in dicendo vis, ordo, & facilitas recta quadam ratione comparari, tenerique poſſit: Niſi fortè ineptos fuiſſe iudicemus, prudentis omninò iudicii, atque acerrimi ingenii viros Ariſtotelem, Demetrium, Ciceronem, Fabium, qui de tota eloquentiæ ratione tam luculenter diſſeruerunt, quod profectò nunquam feciſſent, ſi eam nullis præceptis contineri exiſtimaſſent.

*Eloquentiā non sola natura conſtare.*

Quanquam, vt liberè fatear, multùm huic inſtituto nocuit imperitorum ſcriptorum, qui ſe Rhetoricos Doctores appellari voluerunt, multitudo, poſtquam enim grandis eloquentię deſtituti viribus minutias quaſque putidiuſculè diſcutere cœperunt, omnia libris, & puerilibus nugis referſere.

*Multū obeſt eloquentiæ minuſculorū præceptorum incondita multitudo.*

Longè mihi alia mens eſt, in huius operis molitione, ſtatui enim omiſſis veteribus ſcholarum cantilenis, accurata illuſtrium authorum de optimo genere dicendi iudicia, totamq; eloquentiæ rationem clariſſimis græcorum, latinorumque exemplorum monumētis locupletatam ob oculos ponere, quo ex omnibus ingenijs, ſæculiſque collecta perfectio, atque in vnum quoddam corpus transfuſa, gratior manaret in publicum.

*Operis inſtitutum.*

Atque vt in vniuerſum, dicam quæ poſthac explicatius à me, nitidiuſque tradēda ſunt, mihi in tria fermè genera, tota primū eloquentia diuidenda eſt, quo ſit huius inſtituti magis declarata ratio.

*Triplex eloquentia.*

Prima igitur eloquentia diuina eſt, non illa quidem quæſita è ſchola, ſed Dei præpotentis incitata ſpiritu, qui ſolus vel infantiſſimos quoſque facit oratores.

*Diuina eloquētia maieſtas.*

Hæc eſt verè ſublimis eloquentiæ facultas, cuius vt origo cœleſtis eſt, ita omninò admirabiles, & planè aurei fœtus extiterunt: hæc nō verborū floſculis, delicatis auribus lenocinatā, ſed intimis ſenſibus cœleſti quodā ardore ſuccenſis, homines ſibi ſubiecit, hęc Reges domuit, hęc

ciuitates, prouincias, orbem denique vniuerſum, repudiatis erroribus ad Chriſti iugū pellexit, hæc effecit longè aliter, quàm ſub fabuloſo Orpheo, vt agni lupis accubarent, cùm efferatos antea Ethnicorum animos ad amorem Religionis, continentiæ, manſuetudiniſque traduxit.

*Origen. in exod. 4.*

Hac eloquentia Moyſes in ſacris mirificè claruit, qui ſecundum Origenis, & Diui Gregorij ſententiam, diſertus cēſebatur in primis ea quâ florent homines eloquentia, vtpotè à pueritiæ rudimentis in aula regia liberaliter inſtitutus, & nobilioris ingenij cultura perpolitus: ſed poſtquam cum Deo ſermones miſcere cœpit, iuxta diuinam eloquentiam & ſapientiam ſibi viſus eſt omnium propè infantiſſimus.

*Dionyſius Longinus li. περὶ ὕψους.*

Tandem in cœleſti ſchola, vel potiùs ſacrario diuinitus eruditus, ea literis mandauit, quæ Ethnicis, iiſq; conſummatis Rhetoribus exditerunt admirationi. Dionyſius enim Longinus, qui librum de ſublimi eloquentia ſcripſit, Moyſen legens miratur in eo, non quidem inane locutionum choragium, ſed notionum (vt ipſe ait) mentis præpotentem & exaggeratam ſapientiam, τὸ κράτιστον, καὶ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον, hac inquit excellentia preſtabat ὁ Ἰουδαίων θεσμοθέτης οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε κ' ἀξέφηνεν, *Iudæorum ille Legislator non fuit vir de triuio, qui numinis virtutem pro dignitate cognouit, & verbis explicauit.*

*Longini Rhetoris de Moyſis eloquentia iudicium.*

*Nicetas in Andron.*

Hac eadem eloquentia vigebat Dei fulmen Eſaias, & D. Paulus quem θεορήτορα Nicetas appellat, nimiſque humili nomine Mercurium Lyſtrenſes dixerunt. hic non blandis, & pictis locutionibus, ſed Dei virtute, & ſcientia, ea geſſit, & dixit, quæ ſcimus, ac legimus, in quibus plus eloquentiæ ſubeſſe arbitror, vel in vna ſententia, quàm in toto græculorum periodorum apparatu. Hæc eſt enim lingua Angelorum, quam ita appellatam ab Apoſtolo conſtat, non quod Angeli linguas habeāt, vt annotat Theodoretus, ſed vt quoddam, quod humanis linguis excellentius eſſet, indicaret, & hanc de eloquentia ſententiam imbiberat Homerus Ιλ. ξ. hoc verſiculo,

χαλκίδα κικλήσκουσι θεοὶ ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.

vbi alia Deorum, alia etiam hominum verba innuit. Hæc infundentis Dei donū eſt, minimè ad artis præceptiones reuocanda.

*Eloquentia heroica.*

*ἥρωας in dicendo qui ſunt eloquentia humana auguſtiore præditi.*

Secunda eloquentia heroica eſt, ſiquidem ſupra commune dicēdi genus eloquentes ἥρωας nominat Longinus. Atque vt heros dicebatur ex homine, & Deo conflatus: Ita hæc eloquentia non infuſa quidem, ſed ſimul humanis adiuta præſidijs, ſimul meliori quodam cœli vbere irrigata, ad ſummam pulchritudinem effloruit. Talis eſt eloquentia Patrum, vt DD. Baſilij, Gregorij Nazianzeni, Chryſoſtomi, Cypriani, & cæterorum, qui cùm à puero animum ad eloquentiam adiecíſſent, poſtea cœleſtibus aucti riuis, quaſi magni torrentes, in mirificam Eccleſiæ vbertatem, fœcunditatemque exundarunt.

Tertia, humana quidem illa, ſed virilis, ſapiens, excelſa, plena virium, ſucci, ſanguinis, & venuſtatis, qualis Demoſthenis fuit, aut Ciceronis, & ſuperiorum Oratorum, qui caſtiùs, accuratiuſque dicendi genus conſectati ſunt.

*Loquentia puerilis eloquentiæ ſimia.*

Huius ego grauitati puerilem, quæ nunc eſt in multis, loquacitatem non annumero, plenam vanitatis, & futilium propè deliramentorum. Euenit enim, vt qui propter pectoris anguſtias hoc ſublime dicendi genus generoſæ mentis fœtum non ſatis capiebant, leues homines, & græculi, toti ſe ad literarum aucupia, phraſes, & periodos conferrent, Non ſecus ac pueri, qui cum auri, & margaritarum pretia neſciant, pictos in littore calculos legunt, iiſque mirificè delectantur. Non eſt iſta, non eſt quæ à multis putatur eloquentia, textus phraſeon, & ſcitè tornatus periodorum circulus. Magnę flumen eſt mentis eloquentia, quæ rebus & ſenſibus magis cōſtat, quàm verbulis: ſed vt horti, qui vocantur Adonij in teſtulis pendentes è feneſtris, eos, qui liberiorem aëris copiam non habent, humiliter oblectant; ſic iſtis veluti puerilibus delinimentis innutriti, veræ eloquentiæ magnitudinem, nec mente quidem attingere potuerunt. Omiſſis igitur his nugis grandem eloquentiam, tum heroicam, tum humanam exequemur, atque vt in foro, in ſcholis, in ſacris denique concionibus potiſſimùm elucet, de ciuili, declamatorio, concionatorioque genere, poſtquam vniuersè de eloquentia dixerimus, ſatis copiosè diſſeremus.

*Iulianus in Cæſaribus vocat Adonidis hortos, ἐν ὀστρακίοις γῆν λαχανίων.*

*Ordo librorum.*

### De Eloquentiæ dignitate.

Dei, animi, & eloquentiæ ſimilitudo.

## CAPVT I.

*Eloquens. Deus quidam inter homines. apud Cic. 3. de orat. nu. 50. quod Plato dixit. Θεὸν ἐξ ἀνθρώπων.*

EST verè eloquentia ſemen cœli, & ex æterni luminis fonte delibatus radius, quo qui cæteris excellunt, propiùs ad cæleſtes accedere, & cum ijs maius quoddam videntur habere commercium.

Dicam clariùs & illuſtriùs: Quam habet cum Deo affinitatem mens humana, hãc ipſam cum mente ſibi vendicat Regina terrarum eloquentia.

Animus ſimulachrum Dei eſt, Deus animus eſt, eloquentia diuina eſt. Quod eſt Deus in mundo, animus in corpore, hoc eloquentia in vita ciuili. Ille ſegregatus eſt ab omni concretione mortali, hic totus ſpiritus eſt, eloquentia eximiæ mentis ſoboles non obſcura. Ille videt omnia, nec videtur, hic cernit omnia, nec cernitur; eloquentia capit omnia, nec ſatis capitur. Ille quaſi ventorum curſibus, hic amoris pennis influit; at Suadæ tota vis affectu tanquam vehiculo rapitur, & permeat in pectora. Ille per omnes Vniuerſi plagas diffuſus eſt, hic per omnia corporis membra diſtributus, omnes verò artes, & diſciplinas cõmuni quodam vinculo complexa perlabitur eloquentia; ille regiam habet in cœlo, hic in corde, iſthæc in mente: illum ſuperi colunt, manes obſeruant, voluit orbem, illuminat ſolem, regit mundum, calcat inferos; huic ſupremæ corporis partes obtemperant, famulantur infimæ, caput neruis, quaſi fidibus intentum mouet, oculorum lumen accendit, flectit corpus, in membris omnibus dominatur; eloquentiam verò timent Reges, reuerentur ſubditi, frænat hominum voluntates, illuſtrat ingenia, adminiſtrat ciuitates, atque inferiora ſe deſpicit omnia.

Multas quidem artes, aut à brutis animantibus effingimus, aut eas cum ipſis habemus cõmunes (nihil de figulis, cæmentarijs, clinopegis, architectis loquor) etiam voce & fidibus canere, lanas inficere, telas texere, medicinam facere, bella gerere, imperia adminiſtrare, belluarum exemplo edocemur: At verò dicere (quod eſt copioſè, ornatè, & ſapienter loqui) totum illud, quod per ſe magnum eſt, totum noſtrum eſt; in huius laudis ſocietatem non mutæ pecudes ſeſe offerunt; Angeli ipſi noſtrum palmarium confitentur, qui ſi humani corporis compagibus eſſent incluſi, credo, hac de re nobiſcum certarent.

*Orpheus in hymno Mercurij*

Quapropter Deorum inuentum eloquentiã antiqui crediderũt; & Græci quidem Mercurio, quem λόγου προφήτην, Orpheus nominat; Galli ſuo Herculi Ogmio adſcripſerunt; meliùs, qui Deo ſcientiarum fonti acceptum referunt.

*τὸν Ἡρακλέα οἱ Κελτοὶ ὄγμιον ὀνομάζουσι φωνῇ ἐπιχωρίῳ. Lucianus.*

---

### De Eloquentiæ pulchritudine.

Comparatur cum Pantarba lapide.

## CAPVT II.

*Vide Cic. l. 2. de Orat. n. 54. | Philoſt. in vita Apoll. l. 3. c. 14. Pantarba deſcriptio.*

ATque cùm tanta ſit eloquentiæ dignitas, certè non minor eſt pulchritudo, & ſuauitas, quæ barbarorum ſenſus incredibili quadam voluptate titillat. Occurrit hic mihi, quod de Pantarba narrat Hiarchas, apud Philoſtratum.

Lapillus eſt vt pulchritudine inſignis, ſic virtute admirabilis; ardet enim ſuaui quodam fulgore, & radijs perſtringens oculos, diem vel media nocte accendit: at, quod mireris, idipſum lumen ſpiritus eſt, adeò efficax, vt longius disiunctos inter ſe lapides cõciliet: & quantum illa vis (quæ ſatis oratione explicari non poteſt) diffunditur, tantùm obtinet imperij, aceruoſq; lapidum non ſecus, ac apum examina pertrahit. Verùm natura, ne tam precioſum munus vileſceret, non modò occultis terræ viſceribus abdidit, ſed & facultatem indidit, qua ex captantium manibus efflueret, niſi prouida ratione teneretur.

Quæ omnia mirificè eloquentiæ conueniunt: ſi lux quæritur, quid illuſtrius? ſi vis, quid potentius? ſi latebræ, quid occultius? Ipſa enim non modo lucida eſt, ſed eos in quibus dominatur, ſcientiæ claritate perfuſos, magni quoque nominis celebritate nobiles facit: tantum autem habet virium, vt miti quodam dominatu ſeſe inſinuet in pectora, quæ nullæ aliæ machinæ potuiſſent expugnare, (ſed hoc grande, neruoſum, magniſque affectibus incitatum orationis genus, non eſt omnibus in promptu:) tantis eius, vt cæterorum omnium, eximiam pulchritudinem difficultatibus, non ſecùs ac roſam ſpinis, natura vallauit.

---

### De vtilitate Eloquentiæ.

## CAPVT III.

QVAE duæ res in ciuili vita plurimum poſſunt, Ars militaris, & Doctrina, eo-

*Oneſ. l. 2. de imper.*

*Eloquentia arti militari perquam neceſſaria.*

οὐκ οὕτως ἀκοαῖς ἐνηχοῦσα σάλπιγξ ἐγείρει ψυχὰς εἰς ἅμιλλαν μάχης ὡς προτροπὴ ῥήτορος.

quentiæ operâ non mediocriter indigent: Et quod ad militiam quidem attinet, quantum ab eloquentia ſubſidij capiat, teſtis eſt Oneſander, qui inter vndecim boni Imperatoris conditiones, eloquentiam velprecipuam numerat: Hinc enim (inquit) maxima, præcipuaque in exercitum commoda deriuantur; ſiquidem Imperatoris vehementi concione, erecti, excitatique milites, ardua queque, & formidoloſa excipiũt, ac propoſitam in laudem, victoriamque acriter decertando conſpirant; nec ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt, & irritant, vt hortatur ad virtutem & gloriam oratio; vigorem mentis ad obiecta pericula erigit, imò & metu conterritos, penequeiacentes conſtanti roborat hortatione. Quamobrem perſpicax ille cæcus, vatum parens, eloquentiam in ducibus tantoperè commendat, cum Menelai ſuauitatem, Neſtori; flumen melleum, Vlyſſis vim & grauitatem celebrat: nec dubium, quin heroicis tẽporibus Imperatori plurimùm ſplendoris attulerit ratio quædam, & induſtria dicendi; quod in dies apud Græcos, & Romanos, maioribus vſque adeò manauit incrementis, vt rari eſſent Imperatores eloquentiæ ciuilis imperiti: Eloquentiam ciuilem dico; neque enim Imperatorem velim affectare genus dicendi politum, ex ſchola, & Rhetorum floſculis illigatum, ſed magnum, vehemens, excelſum, quod optimi ingenij viribus incitatum, nonnihil ab arte, ſummorumque virorum limato iudicio, vſuque Reip. & quotidiana diſertorum conſuetudine capiat expolitionis.

De concionatoribus, & iuriſperitis, quorum ſplendor inter literatos eſt maximus, nihil attinet dicere, norunt omnes quantum in eloquentia præſidij ſitum, atque collocatum habeant. Non ita genus igneum tranans omnia, cæteras vniuerſi partes arcanis viribus incitat, vt omnes artes, & diſciplinas accendit vis dicendi, ſine qua eas non modò langueſcere, ſed & penitus contabeſcere neceſſe eſt.

*Alij Quintiliano tribuunt.*

Accedat ad hæc Cornelij Taciti præclara authoritas, qui in dialogo de claris Orat. ſic loquitur: Eloquentia parat ſimul, & tuetur amicitias, aſciſcit nationes, complectitur prouincias; qua non aliud in ciuitate noſtra ad vtilitatem fructuoſius, vel ad dignitatem amplius, vel ad vrbis famam pulchrius, vel ad totius imperij, atque omnium gentium notitiam illuſtrius excogitari poteſt: nam ſi ad vtilitatem vitæ omnia conſilia, factáque noſtra dirigenda ſunt, quid erit tutius, quàm eam eligere artem, qua ſemper armatus, præſidium amicis, opem alienis, ſalutem periclitantibus, inuidis verò & inimicis metum, & terrorem vltrò feras, ipſe ſecus, & velut perpetua quadam potentia, ac poteſtate munitus, cuius vis & vtilitas rebus propè fluentibus aliorum prę-ſidio intelligitur: ſin proprium periculum increpuit, non (hercule) lorica, aut gladius in acie firmius munimentum, quàm reo & periclitanti præſidium, & telum, quo propugnare pariter, & laceſſere vel in iudicio, ſiue in Senatu, ſiue apud principem poſſis.

---

*De vi Eloquentiæ.*

## CAPVT IV.

COnciliatricula res, & efficax capiendis illigandiſque animis eloquentia, vbi præſertim ad ſapientiam, vitæque integritatem comes acceſſerit; huius enim velut ſubnixa pennis Oratoris anima in ipſa auditorum pectora influit, & gratiſſima omnium ſeruitute ſibi mancipat, quæ ſimul atque ingreſſa eſt, quid non efficit: Inflammandi ſunt animi? In ignem accenditur; pungendi? in ſtimulos acuitur; illuſtrandi? funditur in lucem; conſolandi: ſpargitur in Nepenthes; compeſcendi? frænum eſt; ſanandi? Panacea eſt; deliniendi? fit Sirenula: dici non poteſt quot ſunt lenocinantis facundiæ mites præſtigiæ: quot & quam admirabiles effectus.

Haud errarit quiſquis, qui cum Philone Iudæo, eloquentiam ἑλέπολιν τῆς ψυχῆς dixerit.

*Philo in libro quod vir bonus idem ſit & liber.*

Certè Iulianus Imperator illam cum Mercurij virga non inſcitè comparat. Hæc

*Increpuit? tacet omne pecus, volucreſque, feræque,*
*Et ſimulant feſſos curuata cacumina ſomnos,*
*Nec trucibus fluuiis idem ſonus occidit horror*
*Æquoris, & terris maria acclinata quieſcunt.*

*Iulianus ep. 2. ad Iãbl: cum, pa. 158. epiſt. Græc.*

*Stat. in ſylua, ad ſomnum, l. 5. ſyluar.*

Vis ſimul eloquentiæ potentiam? agnoſce in Ariſtide: Smyrna Ioniæ ciuitatum pulcherrima, ſub M. Antonino, terræ motu miſerandũ in modum collapſa, proſtrataque iacebat: Ariſtides verò monodiam ad Imperatorem ſcripſit, vt ad miſeræ ciuitatis ruinas reſarciendas inuitaret: vbi poſt deſcriptã vrbis antea florentis pulchritudinem, locum illum pertexuit νῦν δὲ ζέφυροι ἐρήμην αὐτὴν καταπνέουσιν,

*Philoſt. in Sophiſtis. Ariſt. in ora. ad Antoninum.*

nunc

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*nunc autem deſolatã perflant Zephyri*, Antoninus ad hanc vocem ſuſpirijs, & lachrymis ſuum teſtatus dolorem, continuò Theodoſio Aſiæ præfecto mandauit, vt Smyrnam repararet.

Vis callidam, & heroum expugnatricem Suadam ingenioſo ipſius Oratoris ſtratagemate gliſcentem? Lampſacenos ſtatuerat Alexander, quod Perſis ſtuderent funditus euertere, iamque erat in procinctu ferro, & furore incitatiſſimus, cũ ad eum à ſuis municipibus miſſus eſt Anaximenes (magni illius Alexãdri preceptor,) vt culpam deprecaretur, quo cognito Rex in iracundia perſiſtẽs, iurauit ſe Anaximenis precibus omnia contraria facturum; At egregius orator furentẽ iuuenis animum ſubdolè mitigans. Non veni, inquit, Alexander vt putas, deprecator culpæ, ſed auctor iuſtitiæ; inique egerunt Lampſaceni, rei ſunt Maieſtatis: hoc igitur à te poſtulo, vt eorum vxores, & liberos ſub corona vendas, templa incendas, vrbem in plana ſubmittas. Alexãder, qui ſe præceptoris petitioni aduerſaturum per omnia dixerat, ſẽſit ſe captum, & ſubridens omnia condonauit.

*Eunapius in vita Aedeſio.*
*Sapores vt Euſtathij eloquentia delinitus.*

Vis Præſtigiatricem? Euſtathium intuere, cuius meminit Sardianus in vita Aedeſij, vbi de Euſtathij legatione ad Saporem, copioſius agit. Sapores homo imperioſus, & aditu difficilis erat, & fama ferebatur; poſtquam tamen de more legationis, Euſtathio ad regem patuit acceſſus, vultus modeſtiam, ſuauemque oculorum ſerenitatem Sapores demiratus, varijs artibus hominem timore percellere conatus eſt: verùm vbi placidis auribus viri dicta pariter, & argumenta modeſtè, atque expeditè percurſa concepit, foribus excedere illum paulisper iuſſit, mox per cubicularios ad communem menſam rex illum introuocat, paret Euſtathius, vt erat natura factus ad obſequij momenta, & omnem rationem humanitatis, ad epulas regales accedit, vbi cùm de honorum contemptu inter pocula diſſeruiſſet, tantum regiæ fortunæ, & ornamentorum Sapori faſtidium iniecit, vt parùm abfuerit, quin Rex tiaram rectam abiecerit, & cum purpureo paludamento, gemmata monilia depoſita cum Euſtathij penula commutarit: at fieri illud prohibuerunt affinitate coniuncti, qui Philoſophum merum præſtigiatorem dictitabant.

Hac eadem eloquentia C. Gracchus lachrymas inimicis excuſſit, bella indixit Demoſthenes, Catilinam fregit Tullius, Sicariorum enſes in ſuum iugulum diſtrictos hebetauit Antonius, vrbes cepit Cyneas,

*Per medios ire ſatellites,*
*Et perrumpere amat ſaxa.*
*Potentius ictu fulmineo.*

---

## *De ortu & progreſſu Eloquentiæ.*

## CAPVT V.

ORIGO Eloquentiæ antiquiſſima eſt, ſiquidem cum oppidis hominumque cœtibus iure congregatis habuit initium: Cùm conſtet duabus potiſſimum rebus vinciri ciuitates, iuſtitia, & ſermone. Narrat Ariſtides magnam inter ipſius mundi naſcentis cunabula rerum perturbationem extitiſſe. Cùm hominem nudum, & inermem vniuerſa penè animalia multis partibus anteirent, varijſque moleſtijs, atque angoribus, quibus ipſe præ conſilij inopia cedere cogebatur, excruciarent, ipſi denique homines inter ſe, belluarum more, fœdiſſimè tumultuarentur.

*Ariſtid. orat. 2. pro Rhet. Apologus Lepidus.*

Hanc conditionem miſeratus Prometheus ille fabuloſus, cœlum conſcendit, vt ſubſidia ſalutis, & ornamẽta referret dignitatis. Quapropter eius gratia partim delinitus Iupiter, partim etiam hominum miſerijs (vt qui quotidie dilabebantur) grauiter commotus, Rhetoricam ſub comitatu Mercurij miſit in terras, iuſſitque vt eius ipſius copiam faceret mortalibus, ne tamen inſtar theatralis pecuniæ promiſcuè largiretur omnibus, ſed lectiſſima quæque, & generoſiſſima ingenia deligeret, quæ tam præſtantis doctrinæ opibus ad ſuam, multorumque locupletaret vtilitatem. Hinc primi hominum cœtus, induſtriæ, conſilia, machinationes, artes, opeſque floruerunt.

*Homerus ιλ. α. Rhetorum nomen antiquiſſimũ. ῥητῆρ λόγων Phœnix ab Homero dicitur.*

Hanc ille lepidiſſimam fabellam citat, vt Rhetoricæ antiquitatem, neceſſitatemque commendet. Conſtat certè Rhetorum nomen antiquiſſimum eſſe, & longè ante Philoſophorum appellationem: quippe Homerus eius ipſius meminit Iliadis primo, vbi Phœnicem Achillià Peleo patre admotum, quaſi doctorem eloquentiæ, morumque moderatorem innuit, & expreſſe, ῥητῆρα λόγων, πρηκτῆρά τε ἔργων nominauit. Quin eius temporibus, iam caluiſſe in concionibus eloquentiæ ſtudium oſtẽdit, cum heroes illos antiquos ob linguæ facultatem efferat laudibus. Nam Menelao argutam breuitatem, Neſtori melleam ſuauitatem tribuit, Vlyſſi verò copiam niuibus hibernis ſimillimam, ἔπεα ſcilicet νιφάδεσσιν ἐοικότα

*Paris Rhetor.*

χειμαρίησιν, ſed & ipſum Paridem volunt, vtpote ingenio ſatis elegantem in Amãdro, Patris iuſſu Græcis artibus, & eloquentiæ diſciplinis inſtitutum, diſertum imprimis ſupra gentis ſuæ ingenium euaſiſſe, atque in hominem Veneris, Ceſton, cæteraque id genus (ſi Athæneo credimus) ſcripſiſſe, vnde poſtea de iudicio Dearum, & Veneris victoria, manauit rumor. Pithæum quoque ipſum maternum Theſei auum Trœzeniorum regem, non modo ius, vt eius dignitatem decebat, conſtanter dixiſſe, ſed & artem dicendi docuiſſe, & librum Rhetoricum poſteris reliquiſſe refert Pauſanias in Corinthiacis, ex quo, & eius monumentum, cernebatur, Tribunal ex albo marmore, tribus ſellis iudiciarijs inſigne, cui proximum adhærebat templum Muſarum, vt iuris, & humaniorum artium ſingulare oſtenderet cõmercium ὄπισθεν δὲ τοῦ ναοῦ Πιτθέως μνῆμά ἐστι τρεῖς δὲ ἐπ' αὐτῷ θρόνοι κεῖνται λίθου λευκοῦ οὐ πόρρω δὲ ἱερὸν Μουσῶν ἐστι, addit ἐνταῦθα Πιτθέα διδάξαι λόγων τέχνην φασί καί τι βιβλίον Πιτθέως δὴ σύγγραμμα ὑπ' ἀνδρὸς ἐκδοθὲν ἐπιχορίου, καὶ αὐτὸς ἐπελεξάμην. Hæc ille, ex quibus colligas ante Herculis tempora iam ſparſos de Rhetorica libros extitiſſe.

*Pithæus Rex idem & Rhetor. Pauſ. in Corinth. p. 73.*

*Pithæi egregium monumentum. Tribunal Iudicis annexum templo Muſarũ, hoc eſt, Schola Rhetorices.*

Sed quia hæc artis elementa, vt credibile eſt, erant craſſiora, vix inter ipſius Rhetoricæ cunabula numerantur. Quamobrem Cicero in Bruto eloquentiæ ortum facit ab Athenarum adoleſcentia. Eloquentia, inquit, non apud quoſuis Græcorum cœpit, ſed apud Athenienſes non naſcentibus, ſed iam adultis Athenis: Ante Periclem, & Thucididem litera nulla eſt, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris eſſe videatur; Periclem Xantippi filium Anaxagoras Philoſophus erudit, cuius ſuauitate hilaratæ ſunt Athenæ, eius vbertatem, & copiam admiratæ, eiuſdem dicendi vim, terroremque timuerunt.

*Cic. in Bruto.*

Hæc igitur ætas prima oratorem prope perfectum tulit. His ducibus eloquentia excoli cœpit, & magiſtri dicendi multi ſubitò extiterunt.

Gorgias Leontinus, Traſymachus Calcidonius, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, Hittias, Elæus, Iſocrates tamẽ omnes vicit, & Lyſias, quem iam propè audeas oratorem perfectum dicere: Nam planè quidem perfectum, & cui nihil admodum deſit Demoſthenem facilè dixeris, huic Hyperides proximus, & Aeſchines fuit, & Lycurgus, & Dinarchus, & cuius nulla ſcripta extant Demades. Hæc enim ætas effudit hanc copiam: & ſuccus, & ſanguis incorruptis vſque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis eſſet non fucatus nitor. Hæc Cicero, quæ ſi cum Pauſaniæ, & Athenæi teſtimonijs compares, facilè colligas eum non ipſius eloquentiæ primordia, ſed expolitionem, perfectionemq; aſſignare. Verum cum de rerum initijs ſermo eſt, ab ipſis cunis ſunt repetenda, nec conſiderandum, an tunc ornatum habuerint. Nihil enim politum eſt, & natum, ſed rudioribus principijs omnia natura ipſa rerum opifex pertexuit.

---

### *De Nomine Rhetorum.*

## CAPVT VI.

PRimum Rhetores dicti ſunt omnes, qui qualicunque demum dicendi facultate pollebant: quo ſenſu Phœnicem ab Homero Rhetorem nominatum cõſtat; & ῥητορική, ipſa eſt ars dicendi, ac eloquentia nuncupata, ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, quod eſt dicere, aut χύδην λέγειν, fuſa oratione loqui, quod annotat magnum etymologicum, vel etiam ἀπὸ τῆς ῥήτρας (ita legẽ Dores appellant) quod Rhetores olim leges proponerent, & cõderent: verum quod contracta videretur ad forenſes orationes Rhetoricæ nomenclatura, vt teſtatur Suidas, qui ῥητορικὴν vocat γραφὰς ἃς ἠγωνίζοντο ῥήτορες, Sepius eloquentes in genere δεινοὺς ἐν λόγοις, & eloquentiã ipſam λόγους potius, quam ῥητορικὴν magni authores nuncupant, ita Diuus Gregorius, λόγων ἱδρῶτας, dixit labores in eloquentiæ ſtudiis poſitos, & Iulianus ad Libanium Sophiſtam λόγους, φρένας, σύνεσιν, coniungit, eloquentiam ſignificans prudentiæ ſale conditam. Hęc prima Rhetoris appellatio.

*1. appellatio. Rhetores omnes diſerti.*

*Magnum etymol. in voce ῥήτωρ, ῥήτρας.* λ

*Suid. in voce ῥήτωρ.*

*Gregor. Naz. epi. 10. ad Baſil. Iulianus ad Liban.*

Mox, cum diſerti illi, & facundi homines Athenis maximè, quę vrbs eloquentię fuit domicilium, omnia regerent, & pro arbitrio concionum fluctus moderarentur, bella conficerent, exercitus, naues, commeatus, vectigalia, leges denique, & iura omnia adminiſtrarent: ſpecioſiſſimum fuit nomen Rhetorum. Nam ῥήτορες, vt teſtatur Suidas, iidem erant, ac δήμῳ συμβουλεύοντες, & δημαγωγοί.

*2. Rhetorũ appellatio Rhetores duces populi.*

*Suid. in voce ῥήτωρ.*

Prin-

Principes Conſiliarij, duces populi. Is erat Rhetorici nominis ſplẽdor, hæc poteſtas, cum cæteri literati, & Philoſophi, inter ſcholæ parietes deliteſcerent. Itaque cùm illi honore, & opibus florerent, nobiliſſimi quique iuuenes dicendi ſtudiũ ardentiſſimè capeſcebant, quod ad Reipublicæ gubernacula moderanda, hanc ſibi anſam potentiſſimam eſſe cernerent. Inde nati ſunt Rhetores, vmbratilis ſcilicet eloquentiæ doctores, qui cum ipſi à foro, & negotijs ciuilibus abſtinerent, cæteros tamen ad id exercitationis genus inſtituendo, eam inter ſcholæ priuatos parietes gloriam plerique aluerunt, quam in hac forenſi luce, & concionũ honoribus rari poſtea ſunt conſecuti, tum ꝙ de Iſocrate, & Demetrio Phalereo teſtatũ accepimus. Qui inter eorũ cœtũ ceperunt artificioſæ orationis, ſermonumq; illecebras quaſdam, & veluti ſirenulas, (vt Græci vocant) affectare (quarum famoſiſſimus architectus fuit Gorgias Leontinus) illi ῥήτορες σοφισαὶ ſunt nominati, vnde Lucianus dixit in Macrobijs, Gorgiam Rhetorem fuiſſe, ex ijs quos ſophiſtas appellant ῥητόρων ἦ Γοργίας ὃν τινες σοφισὴν καλοῦσι. Quiquidem initio apud ſobrias adhuc aures malè audiebant, propter hæc noua delectationis aucupia. Itaque Plato in Simpoſio Γόητα φαρμακέα, καὶ σοφισὴν confundit.

*3. Doctores eloquentiæ & Sophiſtæ.*

*Lucianus in Macrob.*

*Plato in Sympoſio. Sophiſtas cum veneficis confundit.*

Poſtea verò, cùm ſub Imperatoribus illi popularium concionum torrentes exaruiſſent, & omnes omnium ad aurium delicias ſermones eſſent conuerſi, magno in honore Sophiſtæ, hoc eſt, illecebroſæ illius eloquentiæ doctores fuerunt. Hinc illa Herodum Atticorum, Proæreſiorum, Ariſtidum, Philoſtratum, Libaniorum, infinitorum denique natio pullulauit, quos fœcundo laſciuientis eloquentiæ partu hæc tempora effuderunt. Plerique autem ita ſcholaſtici illius regni amantes extiterunt, vt præ docendi munere prouincias, & principatus recuſarint, inter quos fuit Libanius, qui locum Prætorij præfecturæ à Iuliano oblatum præ vehementi otij literarij dulcedine reſpuit. Audiebantur enim & præmijs decorabantur ab Imperatoribus, qui malebant homines ingenioſos inter hos eloquentiæ ludos alere, quàm obſtructam ad publicas conciones, & populares fluctus viam aperire.

Extincta igitur libertate, illi, qui priùs erãt ciuitatis principes magni nominis Rhetores, aut cauſarum illuſtrium diſceptatores, in cauſularum litigioſos actores degenerarunt, & ea eſt acceptio ῥήτορος apud D. Lucã cum productum memorat Tertullum ῥήτορα, qui aduerſus diuum Paulum coram Felice præſide cauſam ageret (is quippe cauſſidicus erat.) In hac apparet actione quàm ieiuna ſit, & macilenta humana eloquentia, cum diuina comparata, & quo ſpiritus fulmine Rhetoris illius machinationes Paulus θεορήτωρ demoliatur.

*Luc. Act. 24.*

*Rhetores Cauſidici.*

Ad ſummum, vt omnia paulatim deflectunt in peius, illa Doctorum eloquentiæ gloria, quæ prius florentiſſima extiterat, in viles Rhetorculos defluxit, qui ſe *Rhetores Latinos* appellabãt, quales illi fuerunt, quos decreto Senatus conſtat eſſe damnatos, homines ineptè fallaces, vt qui frigidas quaſdam Græcularum rabularum verſutias, & ſtolidam facundiam iuuentutem docerent. Itaque Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala Conſulibus, M. Pompeius Prætor Senatum conſuluit. Quod verba facta ſunt de Philoſophis, & Rhetoribus S.C. de ea re ita cenſuerunt, vt M. Pomponius Prætor animaduerteret, curaretque, vti ei è Repu. fideque ſua videretur, vti Romæ ne eſſent. De iiſdem interiecto tempore Cn. Domitius AEobarbus, & Licinius Craſſus Cenſores ita cenſuerunt. Renunciatum nobis eſt, eſſe homines, qui nouum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos iuuentus in ludos conueniat, eos ſibi nomen impoſuiſſe, Latinos Rhetores, ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere, Maiores noſtri, quæ liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc noua, quæ prẹter conſuetudinem, ac mores maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter, & ijs, qui eos ludos habent, & ijs qui eò venire conſueuerunt, viſum eſt faciendum, vt oſtenderemus noſtram ſententiam, nobis non placere.

*Pſeudorhetores damnati.*

*Sueto. in lib. de claris Orat.*

Hæc in pſeudorhetores, qui pro vera eloquentia Dialecticorum argutias, fallaciaſque venditabant. Rhetoris tamen appellatio, ex eo tantum fuliginis contraxit, vt Latini ſe Oratores, & Patronos, non Rhetores appellari voluerint. Addo in honorem nominis, in Eccleſia Græca dictos quoque fuiſſe Rhetores ſacrarum literarum interpretes, quod illuſtrat Codinus de officijs ὁ ῥήτωρ εἰς τὸ ἑρμηνεύειν τὰς γραφάς.

*Rhetores dicti ſcripturarum interpretes.*

## *De honoribus Rhetorum.*

## CAPVT VII.

*Rhetorica pictura. Defenſio Rhetoric. apud Photiū ex Ariſtide p. 675.*

INgenioſè, vt cætera Lucianus, in eo, quem de Rhetorum doctore inſcripſit dialogo, Rhetoricam ſuis depingit coloribus. Sedet illa in eminenti ſolio, formoſa aſpectu, & planè elegans, Amaltheæ cornu geſtans varijs fructibus refertum, & ex vna quidem parte aſtantem oſtendit Plutum adoleſcentem penitus aureum, ac perquàm amabilem, quem Gloria, & Potentia, cæteræque id genus Diuæ frequenti ſtipant comitatu: ex altera verò parte *laudes* permultæ puſillis amoribus ſimiles, ac vndique confertæ circumuolitant inſtar Nili, ſi quandoque illum depictum vidiſti. Crocodilo alicui, vel equo fluuiatili, quales multi ſunt in eo inſidentem: paruulos autem puellos (Peches illos AEgyptij vocant) circa illum luſitantes: Tales, & circa Rhetoricam *laudes*. Hæc ille: ex quibus oſtendit totius penè honoris domicilium in Rhetoricæ, ſiue agentis, ſiue etiam docentis gremio fuiſſe conſtitutum.

*Rhetorum palmæ. Ouid. 1. Metam. Et Rhetorum quoque τρίβωνες φοινικοῖ, φασὶ δὲ τῶν φιλοσόφων. vt eſt in Cyrilli lexico. Lucianus in Rheto. doctore.*

Primùm, ſicut Imperatorum honoribus laureæ ſunt peculiari quadam ratione conſecratæ, vt canit Ouidius in perſona Apollinis, ad Daphnem:

*Tu Ducibus lætis aderis, cum læta triumphum*
*Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.*

Sic etiam palmæ Oratoribus deſtinatæ, quarum meminit Martialis epig. 27. libr. 7. ad Fuſcum.

*Sic fora mirentur, ſic te pallatia laudent,*
*Excolat & geminas plurima palma fores.*

Et Lucianus in Rhetorū Doctore οἱ φοίνικες ἢ ἐπὶ τὴν θύρα χλωροὶ ἐστεφανωμένοι. Hæc autem ratio honoris fuit, quod palmæ olim chartarum vicem præſtiterant, ex quo Oratoribus deberi credebantur, qui literaturæ omnis auctores, & principes haberentur: ſiue etiam quod palma victoriæ ſemper inſigne extitit, ideoque victricem, & dominam, perquàm opportunè decebat eloquentiam: an etiam quod palmæ trecentæ, & ſexaginta quinque ab AEgyptijs numerentur virtutes, ideoque fuit ſymbolum eloquentiæ, cuius infinita vis, innumeræque vtilitates in hanc vitæ ciuilis culturam emanarunt.

*Sphinges.*

Alterum eloquētum ſymbolum fuère Sphinges. Neque enim ſine ratione aliqua credibile eſt, datam Hortenſio oratori à Verre Sphingem eburneam, niſi quod conueniens munus oratori credebat. Meminit Plutarchus in Cicerone, Καὶ λαβόντος ἐλεφαντίνην σφίγγα μισθὸν εἰπὼν πλαγίως ὁ Κικέρων πρὸς αὐτὸν τοῦ ἢ φήσαντος αἰνιγμάτων λύσεων ἀπείρως ἔχειν. καὶ μὲν ἐπὶ τῆς οἰκίας τὴν σφίγγα ἔχεις. Ratio eſt, quod σοφὴ παρθένος per antonomaſiam ſphinx appellatur ab Euripide in Phœniſſis, & in myſterijs AEgyptiorum interioris ſapientiæ fuit ſymbolum, ex quo pro templorū fermè omnium limine cernebantur ſphinges, quæ diuinæ ſapientiæ vim reconditam, eamque multis difficultatibus implicitam ſignificarent. Meminere Strabo geograph. & Plutarch. in Iſide, & Oſiride.

*Strabo geog. l. 17.*

*Sirenes Rhetoribus attributæ. Orpheus in Argonauticis. Lycophron in Caſſandra. Menecles in epiſt. de Bacchide.*

Tertiò attributæ etiam oratoribus Sirenes, quod ea, quæ in Iſocratis tumulo eſt collocata, ſatis indicat; idque ob melleam orationis ſuauitatem. Nam Sirenes λιγυρὴν ὄπα γηρύουσι, apud Orpheum, vnde à Lycophrone in Caſſandra ἀρπυ ὀγουμοι ἀηδόνες nominantur, & ab Alciphrone dicuntur habere Sirenulas in labellis, qui ſuauem, & argutam Orationis copiam fundunt. Sic etiam Menecles de Bacchide οἷον ἐφθέγγετο, οἷον ἔβλεπεν ὅσαι ταῖς ὁμιλίαις αὐτῆς σειρῆνες ἐνιδρυμένο, *qualis eius erat oratio qualis aſpectus, quæ in eius colloquijs ſeſſitabant Sirenulæ?*

*Statuarum honor. Diogenes Laert. Cicero in oratore. Eunapius in Proæreſio.*

Quartò honor ſtatuarū penè vulgaris apud ipſos oratores fuit: ſiquidem vni Demetrio Phalereo trecentas & ſexaginta ſtatuas Athenis erectas legimus; Gorgiæ Leontino, qui primus ſubitæ, & fortuitæ orationis aperuit fontem, non inaurata, vt cæteris, ſed aurea poſita eſt; Populus Romanus Proæreſio imaginem cum nobiliſſima inſcriptione dedicauit, (*Regina rerum Roma Proæreſio Regi eloquentiæ.* Ipſi quoque Cæſares eloquentiæ nomine ſtatuas affectarunt: tradit enim Vopiſcus Numeriano adoleſcenti Cari Imperatoris filio, à Senatu Romano dedicatam fuiſſe ſtatuam hoc titulo inſignitam, *Numeriano Oratori potentiſſimo.*

*Legationes & Magiſtratus rhetoribus mandati.*

Quintò legationes, vt Cyneæ Demoſthenis auditori apud P.R. Anaximeni apud Alexandrum, Scopeliano apud Domitianū, Euſtatio Cappadoci apud Saporem Perſarum Regem, Magiſtratus denique, & Præfecturæ perſæpè Rhetoribus ſunt demandatæ, vt ex Eunapij Sardiani; & Philoſtrati Lemnij Sophiſtis nimis liquidè conſtat, vnus Libanius ἐπαρχίαν ἀπ-

λῆς,

ἀρχῆς, quæ erat prima dignitas, recuſauit. Auſonius de Rhetore factus eſt Conſul à Gratiano, haud immemore Præceptoris diſcipulo. Bis conſulatum geſſit Herodes Sophiſta, tătaſque opes contraxit, vt ſtadia, & theatra ſuis ſumptibus populo ædificaret.

*Vrbes, & Prouinciæ*

*Eunapius in Proæreſio.*

Sextò, Vrbes, & Prouinciæ: Nam cùm Proæreſio præcarij muneris petendi copiam feciſſet Conſtans Imperator, poſtulauit inſulas non paucas numero, nec exiguas, tributarias, & vectigales Athenarum Ciuitati in pendendo frumento. Donauit iſtas Imperator, & Primariam dignitatem adiecit, vt præfectus caſtrorum vocaretur.

*Philoſtratus in Dione.*

Septimò, quod ingentis honoris fuit, & ſolis penè Cæſaribus, Imperijque conſortibus conceſſum, ipſi Rhetores ad conſcenſum Imperatorij vehiculi ſunt admiſſi. Nam de Dione memorat Philoſtratus, τραϊανὸς γοῦν αὐτοκράτωρ ἀναθέμενος αὐτὸν ἐπὶ τῆς ῥώμης ἐς τὴν χρυσῆν ἁμάξαν ἐφ᾽ ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπεύουσιν, ἔλεγε θαμὰ ἐπιστρεφόμενος ἐπὶ τὸν Δίωνα. τί μὲν λέγεις οὐκ οἶδα, φιλῶ δέ σε ὡς ἐμαυτόν Sanè Traianus Imperator Romæ illum in aureum currum aſſumens, in quo Imperatores confectis bellis triumphorum pompas ducere ſolent, ſæpiſſimè ad Dionem conuerſus, quidnam aiebat, dicas neſcio. Te verò non minus, quàm meipſum diligo Hi ſunt, & alij innumeri eloquentiæ triumphi, quos nihil opus eſt diffuſiùs recenſere.

---

## *Contra eos qui dicunt Demoſthenem ab Ariſtotele præcepta Eloquentiæ didiciſſe.*

## CAPVT VIII.

Vindicanda eſt Rhetoricæ antiquitas, à calumnia, qua nonnulli Philoſophos ante Oratores clarùiſſe, ipſumque Demoſthenem Ariſtotelis præceptis inſtitutum, ad tantum eloquentiæ decus effloruiſſe conſtanter aſſeuerant: Hoc ipſum iam ſuis iactatum temporibus diſertiſſimè confutat Dionyſius Halicarnaſſeus, & firmiſſimæ rationes euincunt. Siquidem Demoſthenes annum vigeſimum quintum agens, rempublicam capeſſere, & conciones habere cœpit: Ariſtoteles verò iiſdem temporibus cum Platone vixit, vſque ad annos ſeptem & triginta, neque ſcholæ rector, neque vllius ſectæ peculiaris auctor, nec libros Rhetoricos, niſi longo poſt tempore, elucubrauit. Nam Platone mortuo abijt ad Hermiam Atarnei tyrannum, ac triennium cum eo moratus, Eubulo Prætore Mitylenas ſeceſſit, inde ſub Pythodochi prætura ad Philippum venit, apud quem in inſtituendo Alexandro octo annos exegit: poſt Philippi obitum, Euæneto Prætore, profectus Athenas, duodecim annos in Lycæo ſcholas habuit; quo tempore teſtatur ſe iam natu grandiorem, editis ante præſtantiſſimis operibus artes Rhetoricas, quibus adiutum aiunt Demoſthenem, cōpoſuiſſe. At verò Demoſthenes, etiā cum adhuc ſub præceptore eſſet Ariſtoteles, Calliſtrato Prætore, anno ætatis, vt dixi, vigeſimoquinto, primā cauſam egit cōtra Androtionē. Succeſſit ea, quæ eſt de immunitatibus venuſtiſſimè ſcripta: hanc excepit cōcio de claſſibus, quā Timocratea ſequuta eſt. Exinde contra Philippum Regem in arenam deſcendit: mox Rhodienſē, & tres Olynthiacas, & Medianā confecit. Hunc orbem exegerat, cum nulla Ariſtotelis de eloquentia ſcripta litera extaret: nā quod poſt Olynthiacum bellum Rhetoricas artes ſcripſerit Ariſtoteles, indicat his verbis, vbi agit de tropis: τῶν δὲ μεταφορῶν τεττάρων οὐσῶν εὐδοκιμοῦσι μάλιστα αἱ κατ᾽ ἀναλογίαν, ὡς περικλῆς ἔφη τὴν νεότητα τὴν ἀπολομένην ἐν τῷ πολέμῳ οὕτως ἠφανίσθαι ἐκ τῆς πόλεως ὥσπερ εἴτις τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐξέλοι. καὶ Λεπτίνης περὶ λακεδαιμονίων οὐκ ἐᾶν περιϊδεῖν τὴν ἑλλάδα ἑτερόφθαλμον γενομένην. Καὶ Κηφισόδοτος σπουδάζοντος χάρητος εὐθύνας δοῦναι τὸ περὶ τὸν ὀλυνθιακὸν πόλεμον ἠγανάκτει φάσκων εἰς πνῖγμα τὸν δῆμον ἀγαγόντα τὰς εὐθύνας πειρᾶσθαι διδόναι *Cum quatuor, inquit, tranſlationum genera ſint, ea maximè probantur, quæ proportione conſtant: ſicut Pericles dixit, adoleſcentiam, quæ in bello perierat, ita ſublatam eſſe ex vrbe vt ſi quis ver ex anno tolleret, & Leptines de Lacedemoniis, non eſſe committendum, vt Luſca fiat Græcia, & Cephiſodothus, cum Chares rationem reddere Olynthiaci belli ſtuderet indignatus dixit, illum, qui populum in furnum duxiſſet, rationes referre conari.* At dicet aliquis orationem de Corona cæterarum Reginam, poſt lectas Ariſtotelis artes Rhetoricas ſcripſit Demoſthenes, vt quam habuit octo annis poſt Philippi obitum: ſed is præclarè, ipſius Ariſtotelis teſtimonio refelletur, qui in locis vtitur teſtimonijs ex oratione περὶ στεφάνου, quam:

B πι-

περὶ Δημοσθένους δεινότητος nominat. Ex ijs luce ipſa clarius eſt, perfectionem eloquentiæ, quæ in Demoſthene excitatiùs viguit, ex Ariſtotelis præceptis hauſtam non fuiſſe. Nolim tamen hic aſſerere, non eſſe vtilem perfectis oratoribus Philoſophiam; quinimò, nutrix eſt eloquentiæ ſapientia, & ſummam affert in dicendo perſpicuitatem, vim, copiam, maieſtatem: verum, licet diſerti Oratores, qui ante Philoſophos, procul dubio emerſerunt, à Philoſophis poſtea fuerint adiuti, non ideò præſtantior eſt Philoſophia Oratoria facultate, cuius munus eſt, reconditas opes ſapientiæ proferre in lucem, & flore orationis veſtire, ſine quo ornatu neglectæ in tenebris, & ſqualore ſemper iacuiſſent. Cote quidem acuuntur gladij, ſed non ideò cos gladijs præſtantior; A Philoſophis inſtitui poſſunt Oratores, non ideò ſunt Philoſophis inferiores.

> *Eius imago extat apud Fulvium Vrſini in numiſmate. Vide illuſtrium imagines 125. Pythei ſiue Pitthei meminit Pauſan. in Corinthiacis.*

*Illuſtrium Oratorum Elogia.*

## *PYTHEVS.*

### CAPVT IX.

HIc primus in templo Muſarum fertur Rhetoricam docuiſſe, & poſteris librum de arte dicendi conſcriptum reliquiſſe.

## *HOMERVS.*

### CAPVT X.

> *Citer. in Bruto. Hermogen. περὶ ἰδ. Longin. περὶ ὕψους. Demet. Phaler. de Elocut. Ælian de var. hiſt. l. 13 cap. 22. τὰ ἐμημεσμένα ἄρ-γομένοις. Plin. l. 7. c. 5. Id. l. 7. cap. 29.*

ORatus plenioris Eloquentiæ ſi quis rectè repetat, eſt ab Homero, nempe hic Orator, & planè orator à Marco Tullio, ab Hermogene Rhetorum præſtantiſſimus, à cæteris vno omnium conſenſu magiſter Eloquentiæ agnoſcitur. Sapiebat profectò Galaton ille pictor quiſquis fuit, qui Homerum quanquam haud ſatis verecunda ſpecie, prudenti tamen, & arguta depinxit, quippe vomentem expreſſit, non eſculenta credo vinum redolentia, ſed aurea flumina, circunſtantes verò poëtas, ea quæ ipſe euomuiſſet, ſummo ſtudio colligentes vellem oratores addidiſſet, quando & ex eodem fonte hauriunt ab eo qui fons ingeniorum à Plinio nominatur, qui & de eorundem præſtantia diſſerens addit ingeniorum gloriæ, quis poſſit agere delectum, per tot diſciplinarum genera, & tantam rerum operumque varietatem, niſi fortè Homero vate Græco nullum fœlicius extitiſſe conuenit, ſiue operis fortuna, ſiue materia æſtimetur, Ex quo diſertè, vt cætera Dionyſius Longinus Homerum modo Soli Orienti, modo Oceano comparat, & rectè, vt enim Sol fons lucis, Oceanus ortus puteorum, & aquarum omnium parens: Sic Homerus omnis doctrinæ, addo cum Iuſtiniano Imperatore, omnis virtutis pater. Atque vt Solis radijs veſtiuntur, calore animantur, Oceani venis reſperguntur & aluntur omnia: ſic ex diuinis Homeri carminibus, lumen, Spiritum, alimentum, nectare, & ambroſia ſuauius literæ perceperunt. Accedit quod vt in ſole Oriente, & Occidente gratiſſimi colores ad oculorum miraculum cernuntur: In Oceano tot rerum opulentia, tot littorum decor, tot inſularum amœnitas delectationem conciliat; ſic in Homeri Poëſi tot margaritæ, tot lumina, tot faces, tam varia, tam recondita, tam prompta rerum omnium copia, decus, voluptas ſine ſatietate delectet. Quanquam non eſt publici ſaporis Poëta, nec eos capere poteſt, qui Græcarum literarum imperiti eundem Latinè legunt, aut pueriles amplificationes ſententiarum ponderi, & eloquentiæ grauitati præferunt. Quos nihil mirum eſt de Homero pro ſui ingenij modulo ſentire, longe aliter ille Antipater Sidonius qui non modo Poëtam, ſed Oratorem; non oratorem tantum, ſed Suadæ medullam, nec Suadæ medullam modo, ſed Suadam ipſam mundi, & magnum os nuncupat τὰν Μερόπων πειθὼ τὸ μέγα στόμα, ex quo ad eius ſtatuam æream Apis, in ore vatis mellificans cernitur, in Græcorum carminum florilegio. Procedat igitur fauſtis auſpicijs, in albis quadrigis Homerus Rhetorum pater, & longam ſub ſe Oratorum vatumque ſeriem proſpectet.

> *Dion. Long. περὶ ὕψ. Homeri cũ Sole, & Oceano comparatio. Synesio πυρὸς ἀσβέσος πηγή. Homero Ὠκεανὸς θεῶν γένεσις.*
>
> *Antipater Sidonius in Anthologia.*

*Solon.*

### CAPVT XI.

ANte Solonis ætatem de nullo vt diſerto, memoriæ proditum eſt (inquit Tullius in Bruto) hic igitur Homero ſuccedat, vir ſine dubio magnus, cuius eloquẽtia, quaſi veteris illius Myronis ſpirans manus horrori ſimul eſt, & Religioni.

Apparet in eo ingenium acre, velox, excelſum, quod eloquentiæ grauioris ſedes eſt mens ſyncera, & victor animus: contra quem hoc calamitates poſſunt, quod aduerſus ſolem nebulæ. His ſubſidijs paratur non fucata, & potentiorum libidini ſeruiliter ancillans; ſed

> *Grandioris eloquentiæ ſedes grande ingeniũ.*

recti

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

recti cultrix oratio magna vocis libertate ſemper incitata. Qualis ea fuit cum armatus eſt concionatus contra Piſiſtratum, iam Tyrannidis ſatellitio, & aſſentatoris Senatus fauore terribilem ijs qui timere poterant, cuius concionis hoc eſt exordium Ἄνδρες Ἀθηναῖοι τῶν μὲν εἰμὶ σοφώτερος, τῶν δὲ ἀνδρειότερος· σοφώτερος μὲν τῶν μὴ συνιέντων τὸ πραττόμενον, ἀνδρειότερος δὲ τῶν συνιέντων μὲν, σιωπώντων δὲ τυραννίδα φοβουμένων. Viri Athenienſes alijs quidem ſapientior, alijs ſum fortior. Sapientior enim illis ſum, qui Piſiſtrati conatus non animaduertunt, fortior autem ijs, qui ſciunt illum quidem: ſed metu ſilent. Ex vngue leonem agnoſco. Quid cum de Salamine ipſius patria inter Athenienſes, & Megarenſes fermè vſque ad internecionem armis dimicatum eſſet, multiſque cladibus acceptis capitale apud Athenienſes eſſe cœpiſſet, ſi quis legem de vindicanda Inſula ferret: ſolicitus Solon, ne vel tacendo, Reipublicæ, vel conſulendo, ſibi noceret, ſubitam dementiam ſimulat; cuius prætextu, non dicturus modò prohibita, ſed & facturus erat: Deformis igitur habitu, more vecordium in publicum euolat, confictiſque ad rem verſibus, quaſi diuino furore incitatus, per Præconem quod vetabatur ſuadet, omniumque animos ita permouet, vt aduerſus Megarenſes bellum extēplò decernerent, Inſulaq; deuictis hoſtibus, Athenienſium fieret.

*Diogenes Laert. in Solone. Plutarch. Græc. hiſt. 1174.*

Extant verſus apud Laertium.

Εἴην δὴ τότ᾽ ἐγὼ φολεγάνδριος ἢ Σικινίτης
  Ἀντί γ᾽ Ἀθηναίου πατρίδ᾽ ἀμειψάμενος.
Αἶψα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ᾽ ἀνθρώποισι
    γένοιτο,
  Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμιν᾽ ἀφέν-
    των,
Ἴομεν ἐς Σαλαμῖνα μαχησόμενοι περὶ νήσου
  Ἱμερτῆς χαλεπόν τ᾽ αἶσχος ἀπωσάμενοι,

*Olim vtinam fuerim Pholegrādius, aut Sicinites,*
  *Ac mutata foret Attica terra mihi.*
*Nam ſubito fama hæc hominū volitabit ad aures,*
  *Atticus vnus adeſt, qui Salamina fugit.*
*Quin Salamina igitur ſarturi dedecus, imus,*
  *Subdita quod nobis inſula reſtituet.*

Hæc incitatæ mentis, & vehementis ingenij iudicia: neque verò Philoſophiæ perpolitus condimentis humanitatis caruit, quibus plerumque ſententioſa eius dicta aſperguntur. Quid hoc grauius & illuſtrius?

Ἐκ νεφέλης φέρεται χιόνος βία ἠδὲ χαλάζης,
  Βροντὴ δ᾽ ἐκ λαμπρῆς γίνεται ἀστεροπῆς.
Ἀνδρῶν δ᾽ ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται.

*Egregia ſimilitudo.*

*Ex nube vis niuis, grandiniſque decidit:*
*Ex Lucenti fulgure ruunt tonitrua.*
*Sic ex ſpectabili magnorum virorum fortuna pernicies creatur Reipub.*

At illud etiam Philo Iudæus purpuris ſuis inſeruit.

Ἐξ ἀνέμων δὲ θάλασσα ταράσσεται, ἣν δέ τις αὐτὴν
  Μὴ κινῇ, πάντων ἐστὶ δικαιοτάτη.

ἀνέμων

*Ventis aſperatur mare, ſua alioqui natura leniſſimum.*

Sic animus, licèt per ſe tranquillus, alienis motibus percellitur. Iam verò eius cum Crœſo congreſſus, & Regina illa mens, neruoſæ eloquentiæ viribus incitata, quid non habet admirationis? hæc ſapiens, & ſuauis eius ad Regem oratio.

Ὦ βασιλεῦ Λυδῶν πρός τ᾽ ἄλλα μετρίως ἔχειν ὁ θεὸς ἔδωκε, καὶ σοφίας τινὸς εὐθαρσοῦς ὡς ἔοικεν, καὶ δημοτικῆς οὐ βασιλικῆς οὐδὲ λαμπρᾶς ὑπὸ μετριότητος ἡμῖν μέτεστιν, ἣ τύχαις ὁρῶσα παντοδαπαῖς χρώμενον ἀεὶ τὸν βίον, οὐκ ἐᾷ τοῖς παροῦσιν ἀγαθοῖς μέγα φρονεῖν, οὐδὲ θαυμάζειν ἀνδρὸς εὐτυχίαν μεταβολῆς χρόνον ἔχουσαν. ἔνεστι γὰρ ἑκάστῳ ποικίλον ἐξ ἀδήλου τὸ μέλλον· ᾧ δ᾽ εἰς τέλος ὁ δαίμων ἔθετο τὴν εὐπραξίαν, τοῦτον εὐδαίμονα νομίζομεν. ὁ δὲ ζῶντος ἔτι καὶ κινδυνεύοντος ἐν τῷ βίῳ μακαρισμὸς ὥσπερ ἀγωνιζομένου κήρυγμα, καὶ στέφανός ἐστιν ἀβέβαιος καὶ ἄκυρος, quæ ſic latinè reddo. *Græcis quidem hominibus, ô Rex Lydorum, vt in cæteris, mediocritatem, ſic ſapiētiam moderatam, popularem, & liberam, ſi nō Regiam illam ſplendidamq́; fortunā conceſſit Deus. Quæ (cum varijs fortunæ ventis hanc mortalium conditionem videat obnoxiam, neque præſentium bonorum affluentia nos arrogāter efferri, neq; hominis vllius fluxam felicitatem mirari ſinit. Quandoquidem vnicuique noſtrum futurum varium eſt et ignotū. Itaque cui proſpera & æquabilis fortuna ad extremum vſque diem obtigit, hunc beatum prædicamus, Eius verò, qui etiam tum huius vitæ conflictatur periculis, felicitas, non ſecus ac dimicantis Athletæ victoria, fallax eſt, & incerta.*

*Plut. in Solone.*

*Solonis oratio ad Crœſum, ſuaui & moderato charactere.*

*Piſiſtratus.*

## CAPVT XII.

*Solonis cum Piſiſtrato cõparatio.*

SOlonis æmulus extitit Piſiſtratus, vario tamen eloquentiæ genere: illius grauis, auſtera, & plerumque horribilis oratio: huius ſuauis, & amœna dictio: ille frangere ſtudebat animos, hic mollire: ille vaſto impetu irrumpens in animos rumpebatur; hic ſenſim, & leniter irrepens penetrabat: ille vaſe fictili panaceæ ſuccum, hic poculo aureo melleis fauis oblito propinabat venenum: ille ſecare ſe, & vrere profitebatur, vt ſanaret: hic ſoporabat, vt iugularet: ille veluti fuſcina armatus irruebat: hic aureo reti piſcabatur. Ad ſummum, tantùm dicendo valuiſſe fertur, vt Athenienſes illi Regium Imperium, oratione capti permitterent: cùm præſertim amantiſſimus patriæ Solon cõtra niteretur: ſed alterius ſalubriores erant conciones, alterius diſertiores: quo euenit, vt alioqui prudentiſſima ciuitas, libertati ſeruitutem præferret.

*Themiſtocles.*

## CAPVT XIII.

THemiſtoclis victricibus laureis afflorescunt eloquentiæ palmæ: Magnum ſiquidem viri, & ad oratoria decora natum ingenium, quem prima, veluti ſurgentis lux eloquentiæ mirificum ſpondebat oratorem. Nam & puer, eo tempore, quo alij inter prolectantis ætatulæ blanditias laſciuiunt, jam tota mente forum, & accuſationes, defenſioneſque ſociorum cogitabat. Verùm, (vt in Iulio Cæſare contigit) æſtus militaris gloriæ longè ab ijs oratorũ curis hominem abripuit, vbi Miltiadis trophæa cogitare cœpit, ingentiſque honoris ſtimulis noctes, dieſque cõfigi. Nec ſanè fatuè reſpõdit, cùm iã blandiente eloquentiæ gloriâ interrogatus ab aliquo, vtrum mallet Homerus, an Achilles fieri? Tu verò quem te malles (inquit) Olympicum victorẽ, an victoris præconem? Ex quo animum ad ſtudia bellica totum adiecit, & ea geſſit, quæ orbi terrarum ſtupori fuerunt. Apparent in eius dictis ſplẽdidiſſimi ingenij lumina. Quid hoc exordio grauius, quo apud Andrios legatus vſus eſt: *Veſtram hodie in vrbem, Andrienſes, appuli duorum numinũ comitatu ſtipatus, ſuada, et violentia.* Quid eo acutius, cùm Eretrienſes irridẽs aiebat? *gladium quidem habere ſicut Teuthidas Cor autem non habere.* Iam verò ſublime quod dixit apud Perſarum Regem orationem varijs, pictiſque ſtragulis eſſe ſimillimã, vt enim illa, ſic hanc explicatã oſtentare imagines, & figuras, contractam verò occultare, atq; delere. Conſtat ex ijs Themiſtoclem eloquentiâ, ſed ipſa etiam eloquentiæ animâ (prudentiã intelligo) præſtitiſſe, qui meritò à Cicerone inter veteres oratores recenſetur.

*[illegible] μάχων*

*ξίφη μὲν ἔχειν καρδίαν δὲ μὴ ἔχειν.*

*Herodotus.*

## CAPVT XIV.

DIſpliceant huic roſæ, & balſama, cui non placet Herodotus. Hortus eſt eius hiſtoria, varijs arboribus conſitus, innumeriſque florum diſtinctus areolis, ex quo æterni ſpirant odores. De rerum veritate nihil hic attinet dicere, quando ab eruditis hominibus eius cauſſam ſuſceptam, defenſamque video. Stylus certè is eſt, qui non niſi ab imperitis, aut maleuolis reprehendi poſſit. Totus eſt dulcis, candidus, fuſus, ſine vllis ſalebris, quaſi ſedatus amnis fluens. Verba lecta, ſonantia, leuia, non ſecus, ac micantibus illuſa floſculis aſarota, inter ſe, quàm venuſtiſſimo nexu cohærent, quibus amœna figurarũ varietas, magna orationis temperie aſpergitur, & ipſa dialecti mollities multùm affundit ſuauitatis. At quod ſummam habet in Herodoto iucũditatis illecebram, Poëticus quidam decor ex Homeri ſacrario petitus in eius ſcriptis afflorescit; ſic enim arbitror poëtica in oratione verba, aut numeros palam conſectari vitiũ eſſe, vel maximum, at poëſeos quaſdam veneres latentes, arcanas, ſubtiles, immiſcere; magnæ eſt induſtriæ, & plurimùm habet voluptatis. Vt enim vino aſſitus mandragoras illi ſuauitatẽ quandam leniter inſtillat, qua fit, vt, qui bibunt, & ſi minimè cauſſam ſentiant; delectationem tamen hauriant. Pari profectò ratione Poëtarum floſculis illigata ſubtiliter oratio latens habet quoddam aucupium iucunditatis. Quod in Herodoto facilè animaduertas, cuius hiſtoria, vt ait Dionyſius Halicarnaſſenſis propter ſuadelam illam, & venuſtatem optimæ poëſi ſimilis poteſt videri. Accedit ipſa dictionis minimè moroſa ſimplicitas, maieſtatis lepos, & quædam ex elocutionis facilitate volubilitas, quæ Plutarchus etſi Herodoto iniquior

*Dionyſ. Halic. in τέχνῃ.*

quior diffiteri non poteſt. Mirum profectò eſt, cur poſt tot ſæcula Cheronæus ille, vir alioqui moderatus hominis gloria circumfluẽtis, cui tot Theatra plauſerant ſepultos cineres auſus ſit inſectari, fuit in eo præter modũ φιλοπατρις, qui affectus in ſplendidis ingenijs eſt, plerumque non obſcurus.

---

*Pericles.*

## CAPVT XV.

*Ξυνᾶνον ἐν-Ϳοςα τὸν πάντόν. Ολύμπιον. appellat Iulianus in Encomio Euſebiæ. Χ.οκίφαλος à Cratino. in Θρᾴτταις appellatur, quod caput ut cepe plenum haberet, & rotundũ Cic. in Bruto Δεινὸν κεραυνὸν ἐν γλώσσῃ φέρειν.*

SIleant hic ranæ, tonat Olympius. Is eſt Pericles, is ipſe eſt, cui Cœleſtis cognomen admirabilis eloquentia fecit.

Ingens huic caput magnæ mentis officina, ingenium velox, & planè igneum, mixta affabilitate prudentia, dignum imperio virum ſpondent. Hic primus in foro adhibuit doctrinam, namque ab Anaxagora Phyſico eruditus, exercitationem mentis à reconditis, abſtruſiſque rebus ad cauſas forenſes, popularesque traduxit. Huius ſuauitate maximè hilaratæ ſunt Athenæ, huius libertatem, & copiam admiratæ, eiuſdem vim dicendi, terroremque timuerunt: fulmen enim ferre dicebatur in lingua, & certè in concionibus tonabat, fulminabat, permiſcebat omnia. Quin, & Thucydidem nobiliſſimum ſuæ ætatis oratorem in omnes partes verſabat; vt ipſe miraretur palmam ſibi in manibus infringi. Quare cum rogaretur ab Archidamo Lacedæmoniorum Rege, ipſe, an Pericles melior luctator eſſet: Ego (inquit) illum luctando proſterno, ſed neſcio, quo pacto reſiliens, perſuadet ſe non cecidiſſe, atque in eam ſententiam traducit multitudinem. Ex eo dominantis eloquentiæ imperium licet agnoſcere. Extat nobilis ingenij monumentum apud Thucididem, l. II. oratio funebris, in laudem eorum, qui pro patria occubuerunt, quam licet hiſtoricus ſuo finxerit ſtylo, credibile eſt tamen eum Periclis ſenſus delibaſſe.

---

*Thucidides.*

## CAPVT XVI.

THucidides de bellicis rebus canit quodammodo claſſicum (inquit M. Tullius) vir ingentis ſpiritus, & regiæ planè eloquentię. Quippe Regum ſoboles erat, non minus genere ſublimis, quam dictione. Eluxit in puero indoles, vt in ſpeculo: Nam cum tenera adhuc ætate Herodotum pleno Theatri conſeſſu hiſtoriam audiret recitantem, ſubitò prorupit in lacrymas, quaſi quodam mentis furore incitatus. Tum patrem eius intuens Herodotus, μακαρίζω σε τ̃ εὐτυχίας Ὄλορε, ὁ γὰρ σὸς ὑὸς τὴν ψυχὴν ὀργῶσαν ἔχει πρὸς τὰ μαθήματα. Nec ſanè feſellit omen, ita variã quaſi literarum ſupellectili, & admirabile eloquentia floruit, acutus, concitatus, neruoſus, denſus, ſolidus, ſapientiæ plenus, & iudicij. Quanti eum fecerit poſteritas grauiſſimorum virorum iudicia declarant: Demoſthenes certè ſua manu octies dicitur eius hiſtoriam deſcripſiſſe: Cicero libro 2. de oratore hoc illuſtri elogio eundem honeſtauit. Poſt Herodotum Thucidides omnes dicendi artificio, mea ſententia, facilè vincit; qui ita eſt creber rerum frequentia, vt verborum propè numerum ſententiarum numero conſequatur, ita porrò verbis eſt aptus, & preſſus, vt neſcias vtrum res oratione, an verba ſententijs, illuſtrentur. Marcellinus adeò ſublimem eſſe dicit, vt ne in miſerationibus quidem ab hac grandiloquentia diſcedat. Verùm vt veterum artificum ſtatuas, propter ſacrum quendam antiquitatis horrorem, miramur magis, quam probamus in omnibus. Sic Thucidides, licèt ob dicẽdi maieſtatem, ætatiſque fauorem, maxima commendatione dignus poſteris viſus fuerit, iuſta tamen reprehenſione nullo modo caruit. Nam (vt ea, quæ ad hiſtoriam pertinent, omittam) in ſtylo ſæpe durus eſt, acerbus, denſus, auſterus, vehemens, terribilis, perplexus, tortuoſus: & verba quidem vſitata reſpuit, plerumque etiam affectat aliena, quò per obſcuritatem doctrinæ captet opinionem, hyperbatis & traiectionibus orationem implicat, figuras nominum moroſius cõſectatus, vt vel peritorum ſenſus fugiat. Ad hæc in compoſitione, & iunctura de induſtria tam rudis eſt, vt videatur torrens ad ſaxa alliſus ſtrepere. Quod ad eius orationes attinet, eas Cratippus moleſtas, & odioſas vocat: Cicero eaſdem nec poſſe imitari, ſi velit; nec velle, ſi poſſit, profitetur. Eſt enim potiùs grandis, & ſyncerus rerum pronũciator, quàm Orator; cui, vt Philiſto, amatores ſemper defuerunt. Hæc, & cætera vitia, quæ proſecutus eſt Dionyſius Halicarnaſſeus, Thucididem infuſcant: vno tamen antiquitatis, & grauitatis nomine ſemper laudatus eſt.

*Suidas. Marcell. de vita Thucid. πολὺς τῷ τέχναις.*

*Qualia ſunt αὐτοβοεὶ πολεμησείοντας, παγχάλεπον, ἀμαρτάδα ὕλης, φα.ιλ ως ἀποσιμώσεις, κωλύμη. quæ notantur à Marcell. προσηκοῦντι τοίνυν. Cicero in Brut. 449. vide Diony. Halic. ad Q. Aelium Tuberonem.*

*Gorgias Leontinus.*

## CAPVT XVII.

*Cicero in Brut. 3. 1.*

*De his Philoſt. in ſophiſtis li. 1.*

POſtquam intellectum eſt quantam vim haberet accurata, & quodammodo facta oratio, tum etiã magiſtri dicendi ſubitò extiterũt, Leontinus Gorgias, Thraſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, Hippias Elæus, in honore magno fuertũ, alijq; multi, temporibus iiſdem docere ſe profitebantur, arrogantibus ſanè verbis, quemadmodum cauſa inferior (ita enim loquebantur) fieri ſuperior poſſet: ſed inter cæteros præſtitit Gorgias, cui tantus honos habitus eſt a tota Græcia, ſoli vt ex omnibus, Delphis non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur. Primus auſus eſt in conuentu poſcere quæſtionem, id eſt, liberè dicere, qua de re, quis vellet audire. Tum conſurgens inter medios, longè aliter, quam Homericus Vlyſſes effundebat ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίησιν. Et numerus quidem erat liberiore fluens licentia, & genus orationis inſigne, fluens, pictum, expolitum, omni lepore affluens, &(quod mireris) in hac amœnitate neruoſum. Ego illuſtriſſimi ingenij fragmentum hic ſubijciam, & latinitate donabo.

## ΥΠΕΡ ΠΑΛΑΜΗΔΟΥΣ ἀπολογία.

## CAPVT XVIII.

Η μὲν κατηγορία, καὶ ἡ ἀπολογία κρίσις οὐ περὶ θανάτου γίγνεται. θάνατον μὲν γὰρ ἡ φύσις φανερᾷ τῇ ψήφῳ πάντων κατεψηφίσατο τῶν θνητῶν ᾗπερ ἡμέρᾳ ἐγένετο. περὶ δὲ τῆς ἀτιμίας, καὶ τῆς τιμῆς ὁ κίνδυνός ἐστι, πότερά με χρὴ δικαίως ἀποθανεῖν, ἢ μετὰ ὀνειδῶν μεγίστων καὶ τῆς αἰσχίστης αἰτίας βιαίως ἀποθανεῖν.

Et cætera, quæ quia longiora ſunt, lubens omitto, ſenſus tamen latinitate complectar.

Nõ eſt quidem in hoc iudicio de morte tantùm ferenda ſententia, mortem enim omnibus natura propoſuit, & naſcentes ſuo calculo damnauit. Verum quod longè grauius eſt, de honore vel dedecore periclitor, vtrum ſcilicet innocens moriar, an grauiſſimo dedecore, ob turpiſſimam cauſam affectus, violẽta morte properantem ſpiritum excutiã. Quę duę res, cùm in cauſa ſint, vnam vos, alterã ego in manibus habeo: *Innocentiæ meæ ſcilicet ſum Dominus, vos violentiæ: præſtare poſſum, vt ſim innocens, vt fraude circumuentus non perimar, facere non poſſum.* Si meus igitur accuſator Vlyſſes, cũ certò ſciret Græciam a me barbaris proditam, huius accuſationis conſilium ſuſcepit: Næ vir optimus eſt qui patriam, parentes, & totam Græciam, vnius nocentis ſupplicio liberare cõtendit: ſi verò inuidia, fraude, maleficio, hanc in me conflauit accuſationem, omninò deterrimus eſt. Vnde igitur primùm ordiar, vnde defenſionis meæ ſumam initium? Cauſſa enim improuiſa, ſtupore mentem confundit, ſtupor verò, quod neceſſe eſt, inopiam afferret orationis, niſi in veritate, & neceſſitate perfugiũ haberem doctoribus periculoſis magis, quàm copioſis. Quod igitur non certa de cauſa accuſator me deferat, certò ſcio; nullius enim mihi conſcius ſum ſceleris, & vnde quis, quod minimè factum, ne cogitatum quidem eſt reſciat non video. Quod ſi ita rem ſe habere exiſtimãs, accuſationem aggreſſus eſt, primùm ego duabus eum validiſſimis rationibus conuincam: neq; enim, ſi voluiſſem, rem patrare potuiſſem, neq; ſi potuiſſem, voluiſſem. Primũ enim, proditionis initium aliquod fieri oportuit, & id per colloquium: futurarum enim actionum index eſt oratio, quo pacto autem colloquium eſſet inter nos ſine congreſſu? qui verò congreſſus eſſe potuit, cùm nec ego ad illum venerim, nec ipſe quenquam ad me miſerit, nec literæ ſine tabellario vllo à nobis, vltro, citroq; mitti potuerint. Sed finge congreſſum, finge etiam inter nos mutuum colloquium: quid deinde collocutus eſt Græcus cum barbaro? quomodo dicens, & audiens, an ſolus cum ſolo? ſed nullũ eſt nobis linguæ commercium: atqui factum eſt per interpretem? iam tertium nobis ſtatuis indicem, eorum, quæ maximè occulta eſſe oportebat: ſed eſto, factum fuerit, quod tamẽ eſt infectum, fidem dare, & accipere viciſſim nos oportuit: & quænam iſta fides: iuſiurandum dices: quis mihi proditori, vel iurato crediſſet? at obſides dati, qui? fratrem vnum habeo, præterea neminem, &c. Genium habet hæc oratio: ſpirat enim cum neruis aliquid gratiarum, & tota eſt acris, florida, volubilis, vt non modo perſuadere, ſed cum aucupio delectationis mouere poſſit.

### *Critias.*

### CAPVT XIX.

NOn obſcuri quoque nominis inter veteres ſophiſtas *a* Critias,qui in graui genere dicendi exercitatiſſimus fuit. Nec tamen grauitatem verbis poëticis, aut dithyrambis metiebatur,ſed vocabulis maximè proprijs, vt natura poſtulat,concinnabat orationem. Inſigni *b* præterea breuitate, & magna Atticiſmi temperie loquutus,nihil habet inſolens,aut ineptũ Huic Theopompum,licet Platonis, atque etiã Iſocratis ætate inferiorem,tamen, quia ita cõmiſceri ſolent,ſubiungemus.

N.N.

*a Meminit huius Critiæ multis in locis Dion. Halicarn. maximè verò in Iſæo, vbi numerat eum inter* ἐναγώνιον ἀσκοῦντας ῥητορικὴν, *p.* 111. *edit. Francofort. b Ab Hermogene iudicatur* σεμνὸς καὶ διηρμένος πρὸς ὄγκον.

### *Theopompus.*

### CAPVT XX.

*Theopompus hic habet, vt notat Dionyſ.* πολύμορφον τῆς γραφῆς. *& variæ eruditionis ſupellectilẽ, in epiſt. ad Pompeium. Theopompus contra Longini cenſuram defenſus.*

HErodoto, & Thucididi proximus Theopompus,Iſocratis diſcipulus,qui,vt in hiſtoria prædictis minor,ita Oratori magis ſimilis.Dictionem habet liquidam, communem, perſpicuam,Iſocrati haud diſſimilem,&,vt ait Cicero in Bruto,Philiſti,& Thucididis conciſis ſententijs,interdum etiam non ſatis apertis, cum breuitate,tũ nimio acumine officit Theopompus, elatione, atq; altitudine orationis ſuæ. Dionyſ. Longinus mordax Criticus eum irridet,quod vbi dona regi Perſarum,ab Aſiaticis oblata commemorat,poſt ſtragulam veſtẽ, purpuram, tabernacula aurea, periſtromata, emblemata, carnes etiam victimarum ſalſas, regi oblatas, ad alendum exercitum cõmemoret. Debebat, inquit,iſta minuta,aut omittere, aut initio collocare,vt à minoribus ad maiora aſcẽderet:ſed in eo frigidus eſt,& fruſtra mordax Longinus. Erat enim fidelis hiſtorici, & prudentis, poſt opulenta principum, dona tenuiorum quoque in colendo rege ſtudia cõmemorare,& rem,vt geſta eſt,deſcribere; quod ſi tantoperè pesaſonem auerſatur, quin Homerum ſuum numen reprehendit, qui tam ſimpliciter rem coquinariam à principibus obitam deſcribit, & quid hoc eſt, niſi μαγείρου, quod inſectatur in Theopompo φαντασία eſt.

### *Philiſtus.*

### CAPVT XXI.

THucididem quoque conſecutus eſt Syracuſius Philiſtus,doctus homo & diligens, qui cum Dion. tyrãni familiariſſimus eſſet,otium ſuum conſumpſit in hiſtoria ſcribenda. Cui vt Thucididi amatores deſunt, Halicarn. in eo ἀταξίαν τῆς οἰκονομίας, καὶ δυσπαρακολούθητον reprehendit.

a *Habet hic characterem* στρογγύλον, καὶ πυκνὸν, καὶ εὔτονον, καὶ ἐναγώνιον.

### *Plato.*

### CAPVT XXII.

COnſurge altiùs,eloquentia, Platonem video,qui dicendi maieſtate,aſſurrexit ſupra id omne,quod humanum eſt. Is eſt,in cuius ore mellificarunt apes, cecinerunt Luſciniæ, Suada ſeſſitauit. Parum eſt quod dico, Iupiter ſi græcè loqui voluiſſet, Platonis ore loquutus fuiſſet.

Atque, vt ille in cœli ſedens vertice, Deos, Deaſque omnes è catena aurea pendentes,ad ſe nullo negotio, vel reluctantes pertrahit: ita hic profectò quotquot fuerunt oratores, quotquot ſentiendi, dicendiq; magiſtri, ſapientia, grauitate, prudentia, & ſuauitate ſuperauit. Genus dicendi ſublime, excelſum, admirabile; aquilã diceres, quæ ſupra niues, pluuias, & grandines, ſupra nubes, & tonitrua, & ſupra id omne, quod mortale eſt, pẽnarum remigijs erecta, in illo puriori æthere ſuſpenſa conquieſcit, & nunc ſolem defixis intuetur oculis; nunc ad Iouis alludit fulmina. Ratio dicendi facunda, dulcis, amœna, veneribus depluens, flumen lacteũ diceres labi ſine murmure, & in tuas aures, in ora, in intima pectora ſuauiter inundare. Salue igitur Heros; quem vulgari ore laudare penè piaculum eſt; in te, quod in Deorum ſimulacris, facit eloquentia; quorum vbi capita floribus redimiri non poſſunt, corona ſtatuitur ad pedes: Tu cùm tuarum virtutum maieſtate omne faſtigium humanum exceſſeris, patere tibi corollas iſtas, & floſculos ad pedes fundi, vel potius nos iube impreſſo ori digito ſilere, & mirari, modò tui Ariſtotelis monumentum hoc habeas.

Βωμὸν Ἀριςοτέλης ἱδρύσατο τ' ἦ Πλάτων☉,
Ἀνδρὸς ὃν ὅυτ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.

Hæc de Platonis elogio obiter dicta ſint: Qui plura voluerit, veterum teſtimonia in eius laudes, magna vbertate diffuſa videat. Hunc M. Tullius, Plutarchus, Galenus, Proclus, Longinus, Demetrius, & omnes quotquot ſunt Ethnicorum auctorum principes, plena laudant manu: Diui ipſi, Auguſtinus, Hieronymus, Iuſtinus, Baſilius, Gregorius, Clemens, Theodoretus, honorificè appellant. Omnis denique Græca, & Latina vetuſtas, Philoſophorum Coriphæum Homerum, Oceanum, ſapientiſſimum, optimum, vtiliſſimũ, ſanctiſſimum, auguſtiſſimum nominat; ad ſummum μωσῆν ἀττικίζοντα, diuinum Philoſophum, Philoſophorum Deum. Ego certè eius eloquentiam tutiùs laudarem, quam philoſophiam: illam, vt plurimum, nemo ſapiens reprehendit; hæc, vt apud omnes conſtat non ſecus, ac AEgyptus homerica, & multa bona habet, & mala non pauca.

---

*Ariſtoteles.*

## CAPVT XXIII.

Ingrati poſtuletur eloquentia, ſi de Ariſtotele tacuerit, a quo & multa præſidia ſtabilitatis accepit, & ornamenta dignitatis. Hic vir ſingularis, & propè diuino præditus ingenio, cum in diſquirenda rerum omnium natura, mentis ſubtilitate cœlum, terramque penetraſſet, quieſcere non potuit. Stimulabatur quippe in dies Iſocratis fama, quem in ludo oratorio ſumma gloria circunfluentem, ferre non poterat, eius nomini perinde, ac ſtylo perinfenſus. Itaque ad eloquentiam ſerio animum appulit, & dicendi rationem, cum diſſerendi, philoſophandique ſubtilitate coniunxit. In eo, quid præſtiterit, Rhetorici libri felicis ingenij monumenta declarant, & plenè eius laudibus velificatur M. Tull. dum *flumen aureum orationis* effundentem inducit. Et certe in ethicis, politicis, œconomicis, auream habet ſapientiæ opulentiam, manans vbique leniter ſine ſalebris, quanquam ad iſtas dicendi, quæ ſunt in Demoſthene faces, aut Platonis amplitudinem non aſſurgit, cum ſibi aliud dicendi genus aſſumpſerit. Fuit inter ætatis ſuæ philoſophos, elegantiſſimus, vt qui tonſori operam daret, digitoſque micantibus annulis ornaret: quod videtur notaſſe Comicus Ariſtophanes, qui ſui temporis Sophiſtas σφραγιδονυχοκαργοκομήτας appellat. Ex ijs delicijs in veſanos amores prolapſus, ſolum vertere, & præ vlceratæ mentis dolore, ac tædio, venenum bibere coactus, mortuus eſt, ne moreretur. Contra tamen ſentire videtur D. Nazianz. qui Euripi vndis abſorptum ſcribit orat. 1. in Iulianum. Nunc decem Rhetores videamus, qui ſecundum temporum ordinem ita enumerantur. Antiphon, Andocides, Lyſias, Iſocrates, Iſæus, Aeſchines, Lycurgus, Demoſthenes, Hyperides, Dinarchus.

*Eius character maximè proprius eſt, elocutionis dexteritas, perſpicuitas, & mixta cum multiplici eruditione ſuauitas.*

*ſαφήνεια περὶ τὴν ἑρμηνείαν, καὶ γλαφυρότης, καὶ ἡδὺ καὶ πολυμαθής.*

*Diogenes Laert. in Ariſtot.*

---

*Antiphon.*

## CAPVT XXIV.

Antiphon Orator Gorgiæ Leontini temporibus floruit, decem qui numerantur, Oratorum antiquiſſimus. Tanta porrò facundia creditur extitiſſe, vt vulgò Neſtor vocaretur, & illam quidem eloquentiæ ſuauitatem ad leniendas vitæ acerbitates contulit: Nam τέχνην ἀλυπίας, artem medicandi doloris animi excogitauit, & Corinthi in foro conſtructis ædibus, inſcripſit in veſtibulo, *ſe doloris, & mœſtitiæ medicum eſſe*; eos, qui animi ægritudine laborarent, ad ſe palam inuitans: Hippocratem quoque medicorum principem, non eſt veritus ſcripta inuectiua laceſſere, ſuã artem iactantius exquiſitis omniũ medicorũ inuentis anteponens. Verùm, cùm ea res parum ſuccederet, ad forum ſe contulit, in quo non ſine gloria viguit. Plutarchi de eo tale *a* iudicium eſt: ἐςι ἢ ἐν τοῖς λόγοις ἀκριβὴς, καὶ πιθανὸς, καὶ δεινὸς περὶ τὴν εὕρεσιν, καὶ ἐν τοῖς ἀπόροις τεχνικὸς, καὶ ἐπιχειρῶν ἐξ ἀδήλου, καὶ ἐπὶ τοὺς νόμους, καὶ τὰ πάθη ζητῶν τοὺς λόγους τοῦ εὐπρεποῦς μάλιςα ςοχαζόμεν☉. In dicendo accuratus eſt, & ad perſuaſionem efficax, in *b* inuentionibus ſagax, in rebus dubijs ſolers, occultè ſe inſinuans, ad mores, & affectus orationem inflectens, decori obſeruantiſſimus. Quæ à Plutarch. vt cætera, quàm præclarè dicta ſint, id cuiuis patebit, qui vel primam eius orationem legerit, quæ Nouercæ veneficæ, & in cineres mariti, quem noxio populo ſuſtulerat iniuriæ, continet accuſationem. Cæterum à triginta tyrannis occiſus fertur, & ſine honore ſepulchri abiectus, ſi Lyſiæ, & Theopompo credimus; vel ſi alijs fidem habere placet, Dionyſij iunioris iuſſu interfe-

ctus

*Alius Antiphon dictus ὀνειροκρίτης, καὶ τερατοσκόπ☉, cuius meminit Didym. Gram. & Hermogenes.*

*Ars medicandi doloris animi ab Antiph. inuenta.*

*a* ἔςι

*Photius in Biblioth.*

ctus in Sicilia, cum rogatus quodnam æs æſtimaret optimum? reſpondiſſet, illud ipſum eſſe, ex quo Harmodij, & Ariſtogitonis ſtatuæ, qui tyrannũ Hipparchum de rerum humanarum culmine ſuſtulerant, eſſent confectæ. Extant eius orationes in Græcorum oratorũ volumine.

a *Ab Hermogene agnoſcitur inuentor, & princeps politici characteris* ἑυρετὴς ϗ ἀρχηγὸς τοῦ τύπου πολιτικοῦ. *lib. 2. de ideis.*

b *Ab alijs eidem ipſi* ῥητορικῶν λόγων *inuentum tribuitur.* διὰ τοῦτο λαβεῖν ἐπώνυμον, ϗ τὸ Νέϛορα.

*Andocides.*

## CAPVT XXV.

NAtus eſt Andocides Olympiade ſeptuageſima octaua, principe in rep. Athenienſiũ Theogenide, centum annis Lyſia antiquior, homo (vt apparet ex Plutarcho) factioſus, varijſque ob improbitatem periculis, & laboribus exercitus. De eius ſtylo ita cenſet idem auctor ἐϛι δὲ ἁπλοῦς, ϗ ἀκατάσκευος ἐν τοῖς λόγοις ἀφελὴς, ϗ ἀσχημάτιϛος. Simplex eſt, ſine apparatu, inornatus, & minimè figuratus: quicquid tamẽ dicat Plutarchus: grauis eſt, affectus habet, lacertos quoque, & figuras, ſententię ſatis vehementes. Nam vt cætera omittã, ea nobiliſſima C. Grachi aporia, qua dicitur, vel inimicis lachrymas elicuiſſe, fluxit ab Andocide. Sic enim ille in oratione de myſterijs. Μὴ τοίνυν εἰ αὐτοὶ τεθνᾶσι, ϗ τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς ἐπιλάθησθε. ἀλλ᾽ ἀναμνησθέντες τῶν ἔργων νομίσατε τὰ σώματα αὐτῶν ὁρᾶν αἰτουμένων ἐμὲ παρ᾽ ὑμῶν σῶσαι, τίνα γὰρ ϗ ἀναβιβάσομαι δεησόμενον ὑπὲρ ἐμαυτοῦ; τὸν πατέρα, ἀλλὰ τέθνηκεν, τοὺς ἀδελφοὺς; ἀλλ᾽ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ τοὺς παῖδας, ἀλλ᾽ οὔπω γεγένηνται; ὑμεῖς τοίνυν ϗ ἀντὶ πατρὸς ἐμοὶ ϗ ἀντὶ ἀδελφῶν, ϗ ἀντὶ παίδων γένεσθε; εἰς ὑμᾶς καταφεύγω, ϗ ἀντιβολῶ, ϗ ἱκετεύω. οἱ ὑμεῖς με παρ᾽ ὑμῶν αὐτῶν αἰτησάμενοι σώσατε, ϗ μὴ βούλεσθε Θετταλοὺς, ϗ Ἀνδρίους πολίτας ποιεῖσθαι δι᾽ ἀπορίαν ἀνδρῶν, τοὺς δὲ ὄντας πολίτας ὁμολογουμένως, οἷς προσήκει ἀνδράσιν ἀγαθοῖς εἶναι ϗ βουλόμενοι δυνήσονται, τούτους δὲ ἀπόλλυτε μὴ δῆτα. mouet à ſuis maioribus grauiter: Quare nolite, etiamſi mortui ſint, rerum geſtarum obliuiſci, ſed illuſtrium facinorũ recordati, exiſtimate eos viuos, & præſentes adeſſe pro mea ſalute deprecatores. Ad quem enim confugiam? quẽ mihi ſupplicem adhibebo? Patrem? at mortuus eſt; fratres? nullos habeo; liberos? nondũ mihi nati ſunt. Vos igitur mihi eſtote pro patre, pro fratribus, pro liberis, ad vos confugio, oro, & obſecro: ſeruate me, & nolite virorum penuria Theſſalos, & Andrios in ciuitatem veſtram aſciſcere, veſtros verò ciues, qui boni viri, ac fortes eſſe maximè poſſunt, & erunt, perimere. Quid in perorationibus Demoſthenis huic ſimile? Eius quatuor orationes extant in volumine Græcorum oratorum.

*Andocides in or. de myſterijs. p. 19. n. 15.*

*Lyſias.*

## CAPVT XXVI.

LYſiam ſi Muſis placet, ad cælum vſq; Græci homines ſibi, ſuiſque plaudentes ſimilibus efferunt. Ego nihil in eo ſublime, aut admirabile video. Venuſtus eſt ſcriptor, ac politus, quis negat? nihil habet inſolens, nihil ineptũ, concedatur: ſed tenuis eſt, inornatus, & toto genere ſtrigoſior. Nec mirum, priuatas illas pleraſq;, & eas ipſas alijs, & paruarum rerum cauſulas ſcripſit. ex quo, neceſſario ſit ieiunior, quoniam ſe ipſe conſultò ad minutarum genera cauſarum limauit. Appoſitè, & loco de eodem dixit Fab. Quintil. quum de Demoſthene, Aeſchine, & Hyperide verba feciſſet: His (inquit) Lyſias ætate maior, ſubtilis, atque elegans, & quo nihil, ſi oratori ſatis ſit docere, quęras perfectius: nihil enim in eo eſt inane, nihil acceꝛſitum; puto tamen fonti quam magno flumini propiorem. Sit igitur fons, vel fonticulus, & caueat ſe cum magnis fluminibus comparare. At verò Dionyſius Halicarn: in eius laudes ſe effundens, iuſtã orationem ſcribit, nõ modò eius proprietatem, perſpicuitatẽ, rotunditatem, gratiam, puritatem commendat, ſed etiam audet dicere cum περιττὰ, ϗ σεμνὰ, ϗ μεγάλα φαίνεσθαι πράγματα ποιεῖν. quod nemo veterum in Lyſia propriũ agnoſcit, vel eorũ, qui plenius huic indulgent oratori: etiam cum Iſocrate comparat, roſam cum anemone: quantò melius Plato in Phędro, qui rẽ indignam putat Iſocratis opera, cum orationibus Lyſię cõparare, quod ille maior eſſet & indole, & virtute, etiamſi tum eſſet adoleſcens, cum iã Lyſias veniſſet ad ſummũ glorię. Quod verò χάριν eius κρατίστην τε ἀρετὴν, ϗ χαρακτηρικωτάτην eſſe dicis, quaſi ſolus ſit Lyſiæ, κεχαρισμέ-

*Photius propriam eius virtutem indicat* τῶν κώλων ἐυάρμοσον ϗ, τὴν καθαρότητος ἐυανθὲς *membrorum cõcinnitatẽ, & florem puritatis. Cic. de optimo gener. orat.*

*In oratione tamen contra Mneſiptolemon*

*grandiorem ſolito fuiſſe notat Photius.*

μένως, καὶ ἐπαφροδίτως λέγειν, in eo Iſocrati, & Demetrio Phalareo iniquior, quibus hæc virtus maximè conuenit, & ſi quis periculum facere velit, legat orationem Lyſiæ contra Theomneſtum, & cæteros ſimiles, in quibus, quod ſatiet abundè, quod delectet, nihil multum inueniet. Vnam eius orationem valdè probo, ἐπιτάφιον τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς, reliquæ mediocres ſunt, multæ, & luce, & eius nomine indignæ viris doctis meritò videntur.

---

## *Iſocrates.*

## CAPVT XXVII.

SIrenula, quæ Iſocratis inſidet tumulo, me tacente, laudes eius prædicat, & ſuauitatem commendat eloquentiæ. Hic certè tibiarum fabri filius didicit canere maioribus fiſtulis, ad eloquentiæ natus decora. Quid mirum: Gorgiam illum Leontinum audierat, aureum planè oratorem, ſub quo procuſa Iſocratis lingua, dicendi cōſecuta eſt admirabilitatem. Volitabat inprimis gloria, forum & actiones cogitabat, ſed vocis gracilitas, frontiſque mollities hominem à forenſi ſtrepitu, in priuatos ſcholæ parietes compulit, inter quos eam gloriam aluit, quam nemo poſtea eſt cōſequutus: quippe eius ludus toti Græciæ dicendi officina, vel certè, vt acutè dictum eſt a Tullio, equus Troianus fuit, è quo principes nauiter inſtituti ad eloquentiā, prodierūt: primus enim cœpit mollioribus numeris explere ſententias, & aurea philoſophiæ documenta delicatiſſimæ orationis intexere floribus, è quibus eam apud ſummos viros adeptus eſt gloriam, quā nemo adæquauit. Præſenſerat primas, veluti orientis ingenij faces diuinus Plato, cum eum tam illuſtri commendat elogio.

*Plato in Phædro. Platonis iudicium de Iſocr.*

Δοκεῖ μοι ἀμείνων, ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι, ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν προϊούσης τῆς ἡλικίας εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων, ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα, ἐπὶ μείζω δέ τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα: videtur mihi præſtantiore ingenij indole, quàm Lyſias, quantum quidem ex illius ſcriptis iudicare poſſumus, & moribus etiam commodioribus temperatior, & copioſior: itaque nihil mirum, ſi ab adoleſcentia in arte dicendi viris antecellat vt puer pueros iiſdem ſtudijs deditos ſuperauit, atque etiam ijs ſtudijs minimè contentus, ad maiora, diuino quodam impetu impellatur. Hæc Socrates in Phædro Platonis, de Iſocrate admodum adoleſcente. Ex quo conijcere licet, qualis vir fuerit, qui tam fœcunda initia, ad centeſimum vſque annum, quem propè expleuit viuendo, in continua eloquentiæ exercitatione perduxit. Cicero certè eum eloquentiæ patrē non veretur appellare: nec immeritò, inſunt enim in eo ſummæ virtutes, quæ a Dion. Halicarn. colliguntur; inuentio mirabilis, heroica magnificentia, illuſtris argumentorum ſplendor, diſpoſitio prudens, epicherematum elaborata collocatio, magna vbique ſtyli perſpicuitas, atq; in exprimendis moribus induſtria, dictio pura, facilis, vſitata, verborum ſumma, quæ poteſt eſſe, cōcinnitas. Cæterum, vt nihil ex omni parte beatum eſt, à ſummis viris, in eo moroſa ad ſatietatem vſq; affectatio reprehenditur. Primum enim concurſus vocalium, quæ hiulcam faciunt orationem, tam religioſe vitat, vt nihil ſupra, licet de eius oratione Lucilianum illud dicere.

*Iſocratis virtutes.*

*Iſocratis vitia.*

*Quam lepidè lexes, compoſtæ vt Teſſerulæ omnes,*
*Arte pauimento, atque emblemate vermiculato.*

Deinde figuras, non quidem ſententiæ, ſed dictionis, vt leuiculas antitheſes, iſocola, homeoptota, homeoteleuta, non minùs frequenter, quàm illi Iouem Corinthium inculcat: ad ſummum numeros, & circumſcriptos verborum ambitus perpetuò conſectatur, vt nunquā videatur acquieſcere, niſi periodos impenſiore cura tornatas laxius effundat, & mollius. Quod qui nimis pueriliter faciunt, tibicines multos inferciunt orationi. Hæc in Iſocrate Dionyſius animaduertit: Philenicus eundem cum pictore comparat, qui vbique eaſdem veſtes, & geſtus, & ornamēta imaginibus appingit: Hieronymus Philoſophus lectori puero ſimilem dicit, quòd nulla vnquam acrimonia, nulla vocis contentione vtatur. Verùm facilè poteſt Iſocrates, excuſari, ſi præſertim eius conſilium ſpectetur. Hoc genus dicendi ſi vſurpaſſet in foro, iuſta reprehenſione non caruiſſet, at verò ſcribit ad pompam, delectationemque legentium: in quo genere quid poteſt eſſe nimis elaboratum? Non eſt hic ars occulenda, quam profitemur, & quam à nobis ſolùm auditores expectant, quanquam in eo non eſt ineptus, aut nimius Iſocrates, quod nimis intēperanter

*Philenici & Hieronymi philoſophi de Iſocrate iudicium.*

*Defenditur Iſocr.*

obijcit Philenicus: ſed ſuaui magnitudine, & verecunda grauitate totum orationis corpus diſpenſat, nec vbique eodem modo colorat. Qui nimiam lenitatem obijcit, Hieronymus, videre debuerat, ea eſſe Iſocratis argumenta, quę ſedatam requirant orationem; quod ſi aliter faceret, inſaniret, & ad παρένθυρσον, illud, quod tantopere exagitatur à Longino, accederet.

*Iſæus.*

## CAPVT XVIII.

*Dionyſius tribuit illi dictionem puram, accuratam, perſpicuam, propriam, euidentem & cõciſam. καθαράν. ἀκριβῆ, σαφῆ, κυρίαν, ἐναργῆ, σύντομον.*

ISæus genere Chalcidienſis, Athenas profectus Lyſiæ operam dedit, & ex eius ſchola politus in forum venit, verborum cõcinnitate, & vi dicendi præceptori non diſſimilis: quo fit, vt non facilè diſcernantur vtriuſq; orationes, niſi, quod ait Dionyſius Halicarnaſſeus, Lyſiæ concionibus gratia quædam ſparſa afflorefcat: orationes reliquit ſexaginta quatuor, ex quibus extant adhuc decem. In nulla re mihi videtur illuſtrior, quàm quod Demoſthenẽ inſtituit.

*AEſchines.*

## CAPVT XXIX.

QVis Mirmilloni componitur æquimanus? Trax (inquit Horatius) quis Demoſtheni? Aeſchines: hos enim, quaſi par gladiatorum comparat M. Tullius: A me (inquit) vt maximis minima conferam gladiatorum par nobiliſſimum inducitur Aeſchines, tanquam Eſerninus, vt ait Lucilius:

*Aeſchines cum Eſernino gladiatore comparatur.*

——— *No. ſpurcus homo, ſed doctus, & acer.*
*Cum Pacidiano componitur, optimo longè*
*Poſt homines natos.* vel vt Afranius habet:
——— *optimus multò,*
*Poſt homines natos, gladiator qui fuit vnus.*

Nihil enim illo oratore cogitari poſſe diuinius, quæ verba male Henricus Stephanus, vir alioqui eruditus, tribuit Aeſchini: nunquam eum diuinum oratatorem dixit Cicero, ſed Demoſthenem: ideo cum Eſernino Aeſchinem comparat, qui Placidiano longe erat inferior; nam (vt ex Lucilij verbis apparet) Eſerninus ſpurcus homo nominatur, Placidianus longè optimus poſt homines natos. Eadem ſimilitudine vſus eſt M. Tullius, cum in cauſa Gabinij, Pompeium violentum, &, vt ait ipſe, ſyllaturientem, cum Eſernino; ſe vero illi oppoſitum cũ Placidiano confert: Non putaſſet (inquit) ſibi Pompeius, de illius ſalute, ſed de ſua dignitate mecum eſſe certamen: in vrbem introiſſet, ad inimicitias res veniſſet; cũ Eſernino Sãnit e Placidianus comparatus viderer: auriculam fortaſſe mordicus abſtuliſſet. Perperam quoque Eraſmus, in adagio, ait fuiſſe gladiatores per omnia pares: In diſſimili enim genere, licet ſimul cõpoſitos fuiſſe, & Luciliana, & Ciceroniana declarãt. Sit igitur Eſerninus Aeſchines, qui, vt ait Dion. Halicarn. ἀτονώτερος μὲν τοῦ Δημοσθένους, ἐν δὲ τῇ λέξεων ἐκλογῇ πομπικὸς ἅμα καὶ δεινός, καὶ οὐ πάνυ μὲν ἔντεχνος, τῇ δὲ παρὰ τῆς φύσεως εὐχερείᾳ κεχορηγημένος, καὶ σφόδρα ἐναργὴς, καὶ βαρὺς, καὶ αὐξητικὸς, καὶ πικρός. Et, vt cenſet Fabius Quintil. plenior Aeſchines, & magis fuſus, & grandiori ſimilis quò minus ſtrictus, carnis tamen plus habei, minus lacertorum. Certè Cicero, vt vim Demoſtheni, ſuauitatem Iſocrati, Lyſiæ ſubtilitatem, acumen Hyperidi, ſonitum Aeſchini tribuit, & rectè: Ego ſi liceat, quod ſentio, dicere, hominem arbitror ex hiſtrioniа profectum, & naturæ viribus ſatis incitatum, canorum fuiſſe leguleium, magnum oratorem non puto. Anonymus aliquis author Græcus Demoſthenem cum Aſchine perpetua antitheſi conferens, Hunc cruentè lacerat, illum profuſè laudat. Vide in elogio ad Demoſth.

*Iudicium Dion. de Aeſchine. Idem ab Hermogene l. 1. de Ideis dicitur σοφιστικὸς, καὶ γαῦρος.*

*Anonymi iudicium de Aeſchine.*

*Lycurgus.*

## CAPVT XXX.

LYcurgus orator non ex Rhetorum officina, ſed ex Platonis ſchola proceſſit ad Reipub. gubernacula, quam & bonis legibus informauit, & varijs locupletauit ornamentis. Vir fuit grauis, opulentus, prudens, æquitatis laude ſupra cæteros omnes præſtantiſſimus: Quippe Lycurgum apud populum nominaſſe, magnum ſubſidium patrono videbatur, & hanc iuſtitiæ famam tam conſtanter ſeruauit, vt appetente iam morte, ſe in ſenatum deferri curaret, quo rerum ſuarum geſtarum rationem redderet: quod cum grauiter, & ſanctè feciſſet, vnus Meneſæchmus inuentus eſt, qui redargueret, cuius criminationes cum refutaſſet, domum reductus exceſſit è vita. Athenienſi populo periucundus, Alexandro perinfenſus fuit; cuius ἀποθέωσιν cum audiſſet, Deum irridebat, *è cuius templo egredientibus, aqua luſtrali opus eſſet.* In ſtylo: Ἐστι διὰ παντὸς αὐξητικὸς, καὶ διηρμένος, καὶ σεμνὸς, καὶ ὅλως κατηγορι-

*Plutar. in 10 orat.*

*Dionyſ.*

ῥικός, καὶ φιλαλήθης, καὶ παῤῥησιαστικός, οὐ μὴν ἀστεῖος ἡδὺς, ἀλλ' ἀναγκαῖος, τούτου χρὴ ζηλοῦν μάλιστα τὰς δεινώσεις. Eſt vbiq; fuſus, elatus, grauis, & totus accuſatorius, veritatis amans, & in dicendo magna libertate, non eſt vrbanus, aut ſuauis, ſed ſerius, & ad grauitatis exemplar, omnibus propoſitus.

---

## *Demoſthenes.*

### CAPVT XXXI.

*Val. Max. l. 8. c. 6.*

*Quint. l. 12. c. 10.*

*Cicero in Orat. & Bruto.*

MAnibus date lilia plenis; hic eſt Demoſthenes: dixi omnia; quid requiris? Ignorat an ſole colluſtretur mundus, qui Demoſthenē ignorat: huius commemorato nomine, ſtatim maximæ eloquentiæ conſummatio audientis animo oboritur, nec immeritò; cunctos enim illos Atticos tenues, & circumſpectos, vi, ſublimitate, impetu, cultu, compoſitione ſuperauit; nihil Lyſiæ ſubtilitate cedit, nihil argutijs, & acumine Hyperidi, nihil lenitate AEſchini, & ſplendore verborum; nihil acutè inueniri potuit in eis cauſis, quas ſcripſit; nihil (vt ita dicā) ſubdolè, nihil verſutè, quod ille non viderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſsè, enucleatè, quo fieri poſſit aliquid limitatius: Omnes, vt in Iride colores, ſic in Demoſthene virtutes, λαμπρὸς ἐστὶ μὲν τῷ μεγέθει, σφοδρὸς δὲ τῷ πνεύματι, σωφρονέστατος δὲ τὴν τῶν ὀνομάτων ἐκράτειαν, ποικιλώτατος δὲ ἐναλλαγαῖς τῶν σχημάτων· μόνος γὰρ τῶν ῥητόρων ἔμψυχον οὐ σφυρήλατον παρεῖχε τὸν λόγον, ſolus Oratorum habuit animatam, nō malleo fabricatam orationē. Ad ſummum, cum Clemente Alexandrino cōcludamus: ſi quis Iſomacho ſtuduerit, agricola fiet: ſi Lampridi, nauclerus: ſi Charidemo, Imperator: ſi Simoni, eques: ſi Crobylo, coquus: ſi Perdici, caupo; ſi Archelao, ſaltator: ſi Homero, poëta: ſi Pyrrhoni, vitilitigator: ſi Demoſtheni, orator: ſi Chryſippo, dialecticus: ſi Ariſtoteli, phyſicus: & philoſophus, ſi Platoni: ſi Chriſto, τελέως ἐντελεῖται τὴν εἰκόνα τοῦ διδασκάλου ἐν σαρκὶ περιπολῶν θεός, ad imaginem magiſtri perficietur in carne circumiens Deus. Hæc ſummi authores de Demoſthene; ſed nos plenius eius vitia, & virtutes in Cicerone examinabimus.

*Leoſthenes apud Lucian. in encom. Demoſth.*

---

## *Hyperides.*

### CAPVT XXXII.

CVm Lycurgo floruit Hyperides Orator non ignobilis, qui Rempub. eo tempore adminiſtrabat, quo Antipater rerum potitus eſt, quem cùm eius legati apud Athenienſes miris efferrent laudibus, & optimum identidem appellarent: *Nouimus (inquit) Antipatrum optimum, ſed Domino optimo nihil nobis opus eſt.* Tandem cùm in eius veniſſet poteſtatem, tortus ſibi linguam dentibus concidit, ne conſilia Reipub. proderet; & hoſtis libidini vitam tradidit. Fertur tanta fuiſſe dicendi copia, & venuſtate, vt à multis Demoſtheni anteponeretur, à Dionyſio Halicarnaſſeo iudicatur, χάριτος μεστὸς, καὶ δοκῶν ἁπλοῦς, οὐκ ἀπήλλακται δεινότητος, Veneribus affluens, qui cum ſimplex videatur, vi, & grauitate nō caret: à Quintiliano dulcis imprimis, & acutus memoratur; ſed minoribus cauſſis vtilior, aut certè magis par. Quòd ſi numero, non veritate (inquit Longinus) perfectiones Oratoris ponderentur, rebus omnibus Demoſthenem ſuperabit: eſt enim eo vocalior, & plures virtutes habet, penè ſummus in omnibus, inſtar quinquertionis: Nam præterquàm, quòd omnes, compoſitione tamen excepta, imitatur Demoſthenis virtutes, etiam Lyſiacas Veneres eximias habet; quippe molles facit orationis commiſſuras, neque omnia eodem ordine, tenoreque, vt Demoſthenes dicit, ſed mores exprimit cum ſuauitate tenuiter condita. Incredibiles ſunt in eo vrbanitates, excelſa generoſitas, Ironiæ aptæ, ſales non infaceti, nec ſecundum Atticos illos, remoti, multùm comici lepôris, & cum ſagaci ioco ſtimulus, & inimitabilis in omnibus venuſtas. In mouenda verò miſeratione acer eſt, & ſibi inſtans, in fabulis exponendis fuſus, in narrationibus fluens, in pompis ſummus, ad ſummum in omnē partem flexibilis. Hæc de Hyperide Longinus. Hermogenes tamen in eo arguit. μὴ σφόδρα εὖ τῶν καθαρῶν τε καὶ ἠθικῶν καὶ λέξεσιν ἀμελέστερον χρῆσθαι. Quod morum non habeat adeò puram temperiem, & in verborum delectu ſit negligentior.

*Hyperidis acumen.*

*Vis eius, & venuſtas.*

*Hyperidis ornamenta ex Longino.*

*Vitia ex Hermog.*

Dinar-

minentem declinare nubẽ, quam rapido torrente abripi.

*Dinarchus.*

## CAPVT XXXIII.

SVperioribus ætate iunior Dinarchus characterem habet orationis ciuilem, perſpicuum, probabilem, & in eo quidem ſpiritus vehemens, & aſper in ſenſibus, atque methodo: in dictione minus habet vehementiæ, & grauitatis. Videtur tamen ſe ad Demoſthenis dictionem informare: quanquã inflatus eſt, & magis fuſus, ex quo illũ non inurbanè nonnulli κρίθινον Δημοσθένη *Hordearium Demoſthenẽ* nominarunt. Extant eius tres orationes in Ariſtogitonẽ, Philoclem & Demoſthenẽ, quẽ δωροδοκίας vehementer accuſat, ſed vt alius Antipater, eſt χαλαμοβόας, clamans ex calamo, neq; enim iſta pronũtiauit, ſed ſcripſit, cũ vnã tantũ cauſulam egiſſe reperiatur. In peroratione κατὰ Δημοσθένους exemplum affert Arthemij Zelitæ, qui publica infamia notatus fuerit, quod aurũ à Medis accepiſſet, hoc ipſum habet Demoſthenes. Vterque pro virili amplificat, ſed quam Demoſthenes in eo ſit grauior, cuiuis licet agnoſcere.

*Hermog. περὶ ἰδεῶν Aliter Dionyſ. Halicarnaſſeus in Dinarcho δι᾽ αὐτὸ γὰρ τοῦτο, καὶ ἀγροικόν τινες Δημοσθένην ἔφησαν εἶναι καθ᾽ ἃ τὸ ἐλλιπὲς τῆς οἰκονομίας.*

*Demades.*

## CAPVT XXXIV.

INter veteres quoque, & Atticos oratores numeratur Demades, qui primus, vt arbitror, ex nauta factus eſt orator, ex quo, & nauticos ſales in forum tranſtulit, vt notat Cicero in oratore. Ex Atticis non omnes faceti, Lyſias ſatis, & Hyperides, Demades præter cæteros fertur. A Suida πανοῦργος, & εὐτυχὴς dicitur, quod Athenienſium rempub. Philippo magna mercede proderet. At in oratione περὶ δωδεκαετίας ſatis grauiter ſe excuſans, ait τὸ περιμάχητον καὶ θαυμαζόμενον ὑπὸ πάντων ἄστυ, βοῶν καὶ προβάτων ὥσπερ ἔπαυλις, καὶ τῶν βοσκημάτων ἐπληροῦτο, βοηθείας δὲ οὐδαμόθεν ἦν ἐλπίς, ἔγραψα τοίνυν εἰρήνην, ὁμολογῶ καὶ φημὶ, καλῶς καὶ συμφερόντως πεπραχέναι τοῦτο, Κρεῖττον γὰρ ἐπερχόμενον ἐκκλῖναι τὸ νέφος, ἢ φερομένῳ συναπενεχθῆναι τῷ ῥεύματι. Quod vltimum etiam acutum. Satius eſſe im-

*Xenophon.*

## CAPVT XXXV.

XEnophontem verò, quis ſatis laudarit, niſi Xenophontis muſam in ore habuerit? Fuit hic corpore ſpecioſus, mente ſublimis, animo generoſus, magnus bellator, præſtans hiſtoricus, ſuauis orator, non ignaua opera Philoſophus. De quo præclarè Eunapius. Ξενοφῶν ὁ φιλόσοφος ἀνὴρ μόνος κοσμήσας τὰ μὲν ἐν λόγοις, ἔστι τε καὶ ἐν γράμμασι καὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν γράφει τὰ δὲ ἐν πράξεσί τε ἦν ἄριστος, ἀλλὰ καὶ ἐγέννα στρατηγοὺς τοῖς ὑπομνήμασιν. Xenophon philoſophus, qui vir ſolus ex omni philoſophorum numero, cùm ſcriptis, tùm factis ſapientiæ ſtudium expreſſit, moralem virtutem libris, commentarijſque conſignauit. Idem in rebus gerendis facilè præſtantiſſimus dux, præeundo exemplis Duces, & Imperatores genuit. Talis igitur in rebus. In ſtylo melle dulcior eſt à forenſi ſtrepitu remotiſſimus, vt qui minus vehemens ſit, & illum impetum oratoris non habeat. A Dionyſ. Halicarnaſſ. iudicatur καθαρὸς τοῖς ὀνόμασι, σαφὴς καὶ ἐναργὴς, καὶ τὴν σύνθεσιν ἡδὺς, καὶ εὔχαρις purus in delectu verborum, idemque clarus, & perſpicuus, in compoſitione gratioſus, & ſuauis ſupra ipſum Herodotum: itaque vulgo eius ore loqui muſæ dicebantur, quin & ipſe muſa Attica nominatus eſt. Certè eius iucunditas eſt inaffectata, ſed quam nulla affectatio conſequi poſſit, vt ipſæ ſermonem gratiæ finxiſſe videantur. Vnum reprehenditur à Dionyſio, quod aliquãdo decori oblitus, barbaris philoſophicos ſermones tribuat, ſed hoc ex faſtu Græco dixit Criticus, quaſi ſolos Græcos philoſophia deceat, & non apud Quintum Curtium melius aliquando philoſophentur Scythę, quam Græcorum quilibet, aut apud Plutarchũ in Apopht. Perſarum Reges magna orationis dignitate, & ſapientia non ſint exculti. Deeſt illi in hiſtoria ſplendor, maieſtas, & ſuauis cõformatio Herodoti, quam, & ſi aliquando excitare contendit, elocutionem, paululum inſpirans, de repentè quaſi altanus ventus langueſcit, & extinguitur.

*Xenophontis dotes.*

*Eunap. in Sophiſtis initio lib.*

*ὥσπερ ἀπόγειος ἄρα ταχέως σβέννυται. Hæc idem Halicarnaſſ. in epiſtola ad Cn. Pompeium.*

 Theo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## *Theophraſtus.*

## CAPVT XXXVI.

*Theoph. dictus antea Tyrtamus.*

THeophraſto nomẽ dedit loquendi diuinitas, cũ antea Tyrtamus vocaretur. Hic in Ariſtotelis ſinu educatus ingenio acri, veloci, & plane igneo, ad eam gloriam effloruit, vt non ſine cauſa à Cicerone Philoſophorum eruditiſſimus, & elegantiſſimus fuerit appellatus. Quippe cum magno præceptori ſucceſſiſſet, magnus, & extra omnem ingenij aleam diſcipulus, ad duo auditorum millia habuit, totius Græciæ frequentiſſimo concurſu celebratus. Atque inter has eloquentiæ laureas, vir facundiſſimi oris conſenuit, & cum annum octogeſimum exceſſiſſet, moriens tamen accuſaſſe naturam dicitur, quod Ceruis, & Cornicibus diuturnam vitam, quorum id nihil intereſſet; hominibus, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam dediſſet. Tum conuerſus ad diſcipulos, *in vita plus eſſe dixit vanitatis, quàm vtilitatis, amore autem gloria nihil eſſe inanius*, atque inter hæc verba animam exhalauit, pulcherrimè, ſi quando alias, philoſophatus. Character eius politus eſt, amœnus, elegans, totus affluens veneribus: tum præcipuè in exprimendis, effingendiſque hominum moribus, pollet dexteritate quadam ſingulari, ex quo Theophraſto tantopere delectatus eſt Cicero, vt eum amicum ſuum, & delicias nominaret. Cumque oris adeò rotundi eſſet, & planè attici, ſapuit tamen pronuntiatio aliquid peregrinum, & Ereſium, inde enim erat oriundus. Itaque cum percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, & reſpondiſſet illa, atque addidiſſet hoſpes non poſſe minoris, tulit moleſtè ſe non poſſe effugere hoſpitis ſpeciem, cùm ætatem ageret Athenis, optimeque loqueretur.

*Ad duo millia auditorum habuit.*

*Morientis extrema verba. Vide Laertium.*

## *Demetrius Phalereus.*

## CAPVT XXXVII.

THeophraſti fœtus Demetrius Phalereus vir politiſſimi ingenij, qui rempub. Athenienſem magna imprimis gloria adminiſtrauit. Nam illi quot anni currunt dies, tot ſunt erectæ ſtatuæ, lenocinante principijs fortuna. Sed mox rotæ turbine excuſſus, inconſtantiæ rerum humanarum fidem fecit: nam trecentæ, & ſexaginta ſtatuæ, quæ eius nomini erant poſitæ, partim contritæ ſunt, partim etiam in matulas conflatæ.

Ipſe extorris in AEgypto aſpide ad corpus admota, vita priuatus eſt. De eius ſtylo nihil clarius dici poteſt, quàm quod à Cicerone pronuntiatum eſt.

Succeſſit, inquit, ſenibus adoleſcens Demetrius Phalereus eruditiſſimus ille quidem horum omnium, ſed nõ tam armis inſtitutus, quàm paleſtræ: it[illegible] delectabat magis Athenienſes, quam me[illegible]t: proceſſerat enim in ſolem, & puluerem, non vt è militari tabernaculo, ſed vt è Theophraſti doctiſſimi hominis vmbraculis. Hic primus inflexit orationem, & eam mollem, teneramq; reddidit, & ſuauis, ſicut fuit, videri maluit, quàm grauis. Addit eius ſermonem, quaſi ſtellis verborum illuminari, quo teſtimonio nihil poteſt eſſe grauius. Vtinam præclari ingenij monumenta extarent pleniora: nam qui circumfertur liber de elocutione, non eſt meo quidem iudicio Demetrij Phal. ſed alius ex his XIII. quos commemorat Diogenes Laert. hoc vel illud vnum arguit, quod initium libri ſit ſatis politum, finis confuſus, & ineptus. Deinde is author quiſquis fuit, Demetrij Phal. teſtimonio vtitur in hoc libello (quicquid dicat Victorius) prudentis ſcriptoris modeſtiam non ſaperet, ſi Demetrio tribueretur.

Deinde ſui in tertia perſona ſine vlla declaratione non meminiſſet. Ab eo tempore peregrinatam dicunt eloquentiam varias inſulas peragraſſe, & externis ſe moribus obleuiſſe. Verum poſtquam Græcia ſub Imperatoribus ſuppreſſo armorum ſtudio, tota in literis conſenuit, Nuſquam maior vis eloquentiæ, nuſquam vehementiores ingeniorum emiſſiones extiterunt. Floruit illis temporibus Amaltheæ cornu Dion Pruſæus. Floruit Herodes Atticus, cuius omnes ſophiſtæ particulæ quædam videbantur: floruit præcox naturæ miraculum Hermogenes, & Euſtatius Cappadox Saporis triumphator, & Proæreſius viua quædam, & ſpirans Mercurij imago, magnus denique eloquentiæ artifex Libanius, & ipſæ Apoſtatæ nomine notior Iulianus, qui omnes magni in dicendo extiterunt, cum alijs innumeris, quos apud Philoſtratum, & Eunapium licet legere. Abſit tamen vt iſtos cum noſtris Baſilijs, Gregorijs, Chryſoſtomis, Ambroſijs, Hieronymis, Auguſtinis, audeam commiſcere, quibus peculiaris in ſacra eloquentia locus debetur.

Nunc

Nunc Latinæ eloquentiæ cunas videamus.

*Cicero in Bruto. Eius tẽporibus floruiſſe eloquentiã vel illud indicat quod funebri laudatione fuerit decoratus, orationes aũt exornatiui generis, iam inter facũdia delicias numeratur author Halicar. l. 5. antiquit. Ro. vbi de Valerio habet* καὶ περιελθὼν ἐπὶ τὸ βῆμα τὸν ἐπιτάφιον ἔλεξεν ἐπ' αὐτῷ λόγον. *Extat eius oratio ex Halicar. li. 4. p. 143.*

## Latini Oratores Ciceronis fermè omnes penicillo expreſsi.

### *L. Iunius Brutus.*

L. Iunius Brutus Latinorum Oratorum principium tenebit, ſi non principatum. Quis enim illi putet, aut celeritatem ingenij, aut vim dicendi defuiſſe, qui de matre ex oraculo Apollinis, tam acutè, arguteque cõiecerit? qui ſummam prudentiam ſimulatione ſtultitiæ texerit? qui potentiſſimum regem, clariſſimi regis filium expulerit? ciuitatemque perpetuo dominatu liberatam, magiſtratibus annuis, legibus, iudicijſque deuinxerit? qui collegæ ſuo imperium abrogauerit, vt è ciuitate regalis nominis memoriam tolleret, quod certè effici nõ potuiſſet, niſi eſſet oratione perſuaſum, Cicero in Bruto * p. 396.

### *Menenius Agrippa.*

### CAPVT XXXIX.

PRiſca quidem, & horrida, ſed ipſo horrore veneranda extitit Menenij Agrippæ facundia, qui paucos annos poſt reges exactos, cum plebs propè ripam Anienis ad tertium milliarium conſediſſet, eumque montem, qui ſacer appellatur, occupaſſet, dicendo ſanauit diſcordias. Extat eius oratio ſic à Tito Liuio expreſſa.

### *Oratio Menenij Agrippæ.*

*Liuius l. 2. ab vrbe cõdita.*

TEmpore quo in homine, non vt nunc, omnia in vnum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerit, indignatas reliquas partes ſua cura, ſuo labore, ac miniſterio ventri omnia quæri; ventrem in medio quietum nihil aliud, quam datis voluptatibus frui: conſpiraſſe inde, ne manus ad os cibum ferrent, ne os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem domare vellent, ipſa vnà membra, totumque corpus ad extremam tabem veniſſe, inde apparuiſſe ventris quoque, non ſegne miniſterium eſſe: nec magis ali, quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus, vigemuſque; diuiſum pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem. Comparando hinc, quam inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis, in Patres flexit hominum voluntates,

### *Appius Claudius.*

### CAPVT XL.

APpius Claudius C. F. App. N. Cæcus ille, ingenij tamen vt apparet lumine præſtitit, iuris æquè, ac eloquentiæ conſultus. Hic eſt, qui rerum geſtarum gloria circumfluens, cum de Pyrrhi pace ageretur, lectica in Senatum delatus turpes pacis conditiones grauiſſima oratione diſcuſſit, quæ extat apud Plutarchum his verbis.

### ORATIO APPII CLAVDII *ad Senatum.*

Πρότερον μὲμ ἔφη τὴν περὶ τὰ ὄμματα τύχην ἀνιαρῶς ἔφερον ὦ Ῥωμαῖοι, νῦν δὲ ἄχθομαι, πρὸς τῷ τυφλὸς εἶναι, μὴ καὶ κωφὸς ὤν· ἀλλ' ἀκούων αἰσχρὰ βουλεύματα καὶ δόγματα ὑμῶν ἀνατρέποντα τῆς Ῥώμης τὸ κλέος. ποῦ γὰρ ὑμῶν ὁ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους θρυλλούμενος ἀεὶ λόγος, ὡς εἰ παρῆν ἐκεῖνος εἰς Ἰταλίαν ὁ μέγας Ἀλέξανδρος, καὶ συνηνέχθη νέοις ἡμῖν καὶ τοῖς πατράσιν ἡμῶν ἀκμάζουσιν, οὐκ ἂν ὑμνεῖτο νῦν ἀνίκητος, ἀλλ' ἢ φυγὼν ἂν ἢ που πεσὼν ἐνταῦθα τὴν Ῥώμην ἐνδοξοτέραν ἀπέλιπε. Ταῦτα μέντοι κενὴν ἀλαζονείαν καὶ κόμπον ἀποδείκνυτε· Χάονας καὶ Μολοσσοὺς τὴν ἀεὶ Μακεδόνων λείαν δεδιότες, καὶ τρέμοντες Πύρρον ὃς τῶν Ἀλεξάνδρου δορυφόρων ἕνα γοῦν ἀεὶ περιέπων καὶ θεραπεύων διατετέλεκε, καὶ νῦν οὐ βοηθῶν τοῖς ἐνταῦθα μᾶλλον Ἕλλησιν, ἢ φεύγων τοὺς ἐκεῖ πολεμίους πλανᾶται περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐπαγγελλόμενος ἡμῖν τὴν ἡγεμονίαν ἀπὸ ταύτης τῆς δυνάμεως, ἣ μέρος μικρὸν αὐτῷ Μακεδονίας οὐκ ἤρκεσε διαφυλάξαι. μὴ τοῦτον οὖν ἀπαλλάξειν νομίζετε ποιησάμενοι φίλον, ἀλλὰ ἐκείνους ἐπάξεσθαι, καταφρονήσαντας ὑμῶν, ὡς πᾶσιν εὐκαταεργάστων, εἰ Πύρρος ἄπεισι μὴ δοὺς δίκην ὧν ὕβρισεν ἀλλὰ καὶ προσλαβὼν μισθὸν τοῦ ἐπεγγελάσαι Ῥωμαίοις Ταραντίνους καὶ Σαμνίτας. Quæ Latinè ſic reddo.

Eadem

*Eadem ex Græco expreſſa.*

ANtea quidem cæcitatem meam moleſtè ferebam, nunc autem doleo ad hoc oculorum incommodum non acceſſiſſe ſurditatem. Neque enim conſiliorum, ſententiarumque ignauiam, atque turpitudinem audirem, quibus Pop. Romani gloria breui eſt interitura. Vbi veſter ille omnium quotquot ſunt mortalium aures peruagatus ſermo? Quo iactabatis, illum Alexandrum Magnum ſi in Italiam veniſſet, cum & vos ætatis flore, & veſtri parentes conſiliorum vigore florerent, inuictum (vt prædicabatur) haud quaquam futurum, ſed aut fuga, aut certè, quod grauius eſt, cruore veſtri imperij nomen ſanciturum fuiſſe. Phalerata (vt apparet) verba fuêre, inania veritatis, pleniſſima iactationis. Chaonas quippe, & Moloſſos perpetuam Macedonum prædam timetis, Pyrrhum exhorreſcitis, qui vnum aliquem ex iſtis Alexandri ſatellitibus ſemper affectatus, nunc non tam Græcis ſuppetias ferês, quàm ipſe domeſticos hoſtes fugiens, circa Italiam diffuſus vagatur. Scilicet iſto vobis copiarum robore pollicetur orbis imperium, quibus particulam Macedoniæ ſeruare non valuit.

Nolite exiſtimare hominem, ſi ſemel placaueritis à vobis receſſurum, quin potius hac lenitate innumeros alios eſtis excitaturi, qui vobis tanquam mortalium contemptiſſimis inſultent, cum præſertim Pyrrhus non modò poſt tot illatas iniurias impunè abeat, ſed etiam mercedem à P.R. ferat, quod vos Tarentinorum, & Samnitium fecerit ludibrium.

His addit Cicero C. Fabritium, qui eſt ad Pyrrhũ de captiuis recuperandis miſſus Orator. Titum Coruncanum, quòd ex Pontificum commentarijs longè ingenio valuiſſe videtur M. Curium, quòd is Tribunus plebis interrege Appio Claud. Cæco diſerto homine, comitia contra leges habente, cùm de plebe conſulem non accipiebat, Patres ante autores fieri coegerit: quod fuerit permagnum, nondum lege Menia lata. Licet aliquid de Marci Popilij ingenio ſuſpicari, cui cùm Coſſ. eſſet, eodemque tempore ſacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra Patres concitatione, & ſeditione nuntiata, vt erat læna amictus, ita venit in concionem, ſeditionemque, tum authoritate, tum oratione ſedauit.

*M. Corn. Cethegus.*

## CAPVT XLI.

M. Cornelius Cethegus ampliſſimis honoribus functus, vt qui adoleſcens pontifex factus eſt, & Conſulatum geſſit bello Punico II. anno ab vrbe condita D C. cum P. Sempronio Tuditano eloquentiæ laudibus floruit, de quo notiſſimi verſus Ennij.

*Additur orator Cornelius ſuauiloquenti*
*Ore Cethegus Veturio collega Philoni*
*Filius, is dictus ollis popularibus olim*
*Qui tum viuebant homines, atq; æuũ agitabant.*
*Flos delibatus populi, ſuadæque medulla.*

Vbi Cicero cum animaduertit dici oratorẽ, & ſuauiloquentem, quod ſuis temporibus in pleriſque, non tam fuiſſe aſſerit, cui latrare potius, quam loqui videbantur. Nec ſatis vt hominis decus ingenium, ſic ingenij ipſius lumen eloquentia, qua virum excellentem præclarè, tum illi homines florem populi eſſe dixerunt: & quam Deam in Periclis labris (ſcripſit Eupolis) ſeſſitauiſſe, huius medullam Ennius Cethegum oratorem eſſe dixit.

*M. Cato Senior.*

## CAPVT XLII.

QVem virum ex Cicerone Dij boni! mitto ciuem, aut ſenatorem, aut Imperatorem: oratorem enim hoc loco quærimus. Quis illo grauior in laudando? acerbior in vituperando? in ſententijs argutior? in docendo, ediſſerendoque ſubtilior? Refertę ſunt eius orationes amplius centum, & quinquaginta, & verbis & rebus illuſtribus. Licet ex ijs eligant ea, quę notatione, & laude digna ſunt. omnes oratorię virtutes in eis reperientur. Iam *a*verò origines eius, quem florem, aut quod lumen eloquentię non habet? Amatores huic deſunt, ſicuti multis iam antè ſæculis, & Philiſto Syracuſio, & ipſi Thucididi. Antiquior quidem eſt eius ſermo, & quædam horridiora verba habet, ita enim tum loquebantur. Id muta, quid tum ille non potuit, & adde numeros, & aptior ſit oratio: ipſa verba compone, & quaſi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitauerunt, iam neminem antepones Catoni. *b* Ornari orationẽ Græci putant, ſi verborum immutationibus vtantur; quos appellnt τρόπους & ſententiarum,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum, orationiſque formis, quas vocant σχήματα. Non veriſimile eſt quam ſit in vtroque genere creber, & diſtinctus Cato: & id quidem licet ex iis, quæ ſuperſunt fragmentis agnoſcere. Quæ grauitas in eius oratione apud Liuiũ (quam nos ſuo loco reddemus) quis ſpiritus in Apophtegmatis? cum inuectus in Pop. Ro. prodigalitatem, & ignauiam dixit.

(Quam difficile eſt, verba facere ventri aures non habenti.) (Et illud) (omnes viri vxoribus imperant, nos omnibus viris, nobis vxores.) Quid cum cenſuram petens inter blandientes populo competitores vnum verbum effatus, (Quirites eligite me, vobis opus eſt ſeuero medico, & magna purgatione.) Non poterat hic animus non eſſe aptum eloquentiæ ſolum. Cum Catone fuerunt grandiores natu (C. Flaminius. C. Varro. Q. Maximus, Quintus Metellus, P. Lentulus, P. Craſſus, &c.

N. N.

a *Accuratiſſimum hoc opus fuiſſe teſtatur, Dion. Halicarnaſſ. Criticus* πόρκιός τε Κάτων ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγὼν, *ſed hoc ad laudem potius historia, quàm eloquentiæ.* b. *Ideo dictus à pleriſq;* Demoſthenes τῷ δὲ Κάτωνι πολλὴ μὲν ἀπὸ τοῦ λόγου δύναμις ηὔξετο, καὶ ῥωμαίων αὐτὸν οἱ πολλοὶ Δημοσθένη προσηγόρευον.

---

*Q. Fabius Pictor.*

## CAPVT XLIII.

QVintus Fabius Pictor inter eloquentes à Cicerone numeratur in Bruto. fuit & iuris, & literarum, & antiquitatis bene peritus. a Hic ipſe eſt Hiſtoricus, ſiue Annalium ſcriptor Romanorum, omnium hiſtoriæ conditorũ antiquiſſimus, quem Cinæus, Calphurnius, Dionyſius, Liuius, cæterique alij in multis ſequuti ſunt, eôque etiam ſubinde illum in ſuis operibus citant.

a *Huius teſtimonijs ſæpè vtitur Dionyſ. Halicarnaſſenſis, & antiquiſſimum, atque accuratiſſ. ſcriptorem nominat.*

---

*C. Lælius, & P. Africanus.*

## CAPVT XLIV.

CAius Lælius, & P. Africanus fuerunt imprimis eloquentes; quorum extabant Ciceronis temporibus orationes, ex quibus exiſtimari de ingenijs oratorum poteſt. Et quanquam ea fuit opinio, vt plurimum tribueretur ambobus, dicendi tamen laus eſt in Lælio illuſtrior. At oratio Lælij de collegis non eſt melior, quàm de multis, quam voles Scipionis: non quòd illa Lælij quicquam ſit dulcius, aut quod de religione dici poſſit auguſtius, ſed tamen multo horridior, & vetuſtior ille, quam Scipio: & cum ſint in dicendo variæ voluntates, delectare magis antiquitate videtur & lubenter verbis, etiam vti paulò magis priſcis Lælius. (Sed eſt mos hominum, vt nolint eundem pluribus rebus excellere.) Nam vt ex bellica laude aſpirare ad Africanum nemo poteſt, in qua ipſa egregium Viriati bello reperimus fuiſſe Lælium, ſic ingenij literatum, eloquentiæ, ſapientiæ denique, etſi vtrique primas, priores tamen libenter deferunt Lælio. Hæc Cicero.

*Ciceronis de eloquentia Scipionis, & Lælij iudicium.*

Cæterum P. Scipionis, quo eminentior fortuna, & excelſior animus, ſic etiam illuſtrior eloquentia viſa eſt: Accedebat maieſtas ad miraculum vſque magna, vt cuius aſpectũ ſæui latrones in villa Linterinna cum oſtẽdiſſent, tanquam Deum coluerunt. Nam poſtes Ianuæ, velut religioſiſſimam aram, ſanctũque templum venerati, cupidè Scipionis dextram apprehenderunt, ac diu oſculati poſitis ante veſtibulum donis, quæ Deorum immortalium numini conſecrari ſolent, læti quia Scipionem vidiſſe contigiſſet, ad lares proprios reuerterunt. Quid hoc fructu maieſtatis excelſius? quid etiam iucundius? hoſtis iram admiratione ſui placauit: ſpectaculo præſentiæ ſuæ latronum geſtientes oculos obſtupefecit. Delapſa cœlo ſydera hominibus, ſi ſe offerant venerationis amplius non recipient.

*Scipionis pro via in vultu, & oratione maieſtas.*

*Valer. Maxim. l. 1.*

Quid cum M. Nænius Tribunus plebis accuſaret eum ad populum, qua oratione reſpondit. Memoria (inquit) Quirites repeto diem eſſe hodiernum, quo Annibalem Pœnum imperio noſtro, inimiciſſimum magno imperio vici in terra Africa, pacemque & victoriam vobis peperi inſperabilem. Non igitur ſimus aduerſus Deos ingrati, & cenſeo relinquamus nebulonem hunc, eamuſque nunc protinus Ioui optimo max. gratulatum.) Id cum dixiſſet auertit, & ire in Capitolium cœpit, tum concio vniuerſa, quæ ad ſententiam de Scipione feren am venerat, relicto Tribuno Scipionem in Capitolium comitata: atque inde ad ædes eius cum læti-

*Gell, noctium Atticar. l. 5. c. 18.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tia, & gratulatione ſolemni proſequuta eſt. Quid hac eloquentia magnificentius?

*Seruius Galba.*

## CAPVT XLV.

*Galba oratoris ingenium. ἐνθουσιαστικὸν, & oratorius furor.*

VT in Lælio elegantia, maieſtas in Scipione, ſic vis in Seruio Galba mirabilis extitit. Teſtis illa nobiliſſima cauſa, quam pro ſocijs grauiſſimè, vehementiſſimeque egit, in qua vnum quaſi comperendinatus, medium diem totum in conſideranda cauſſa componendaq; poſuit: & cum cognitionis dies eſſet, & Rutilius rogatu ſociorum, domum ad Galbam manè veniſſet, vt eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret, vſque ille quoad ei nuntiatum eſſet, cōſules deſcendiſſe, omnibus excluſis commentatus eſt in quadam teſtudine cum ſeruis literatis, quibus aliud dictare eodem tempore ſolitus erat. Interim cum ei nuntiatum eſſet tempus eſſe, exijſſe in ædes ferunt eo colore, & ijs oculis, vt egiſſe cauſſam non commentatum putares. Addebāt ſcriptores illos malè mulctatos exijſſe cū Galba, ex quo ſignificabatur illum, non in agendo ſolum; ſed etiam in meditando vehementem, atque incenſum fuiſſe. Itaque eum fortaſſe vis, non ingenij ſolum, ſed etiam animi naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatque, vt incitata, & grauis, & vehemens eſſet oratio. Dein cum otioſus ſtylum prehenderat, motuſque omnis animi, tanquam vetus hominem defecerat, flacceſcēbat oratio. Cicero in Bruto.

*Signum φύσεως στοργώσης vt Herodoti, & Marcellini verbo utar.*

---

*Curio.*

## CAPVT XLVI.

*Ciceronis iam viri de maiore Curione iudicium.*

CVrio fuit eiuſdem ætatis ferè, ſanè illuſtris orator, cuius de ingenio, ex orationibus eius exiſtimari poteſt. Sunt enim, & aliæ, & pro Seruio Fuluio de inceſtu nobilis oratio, nobis quidem pueris, hæc omnium optimæ putabantur, quæ vix iam comparent in hac turba *a* nouorum voluminum (addit) atqui hæc de inceſtu oratio, puerilis eſt locis multis, de amore, de tormentis, de rumore, loci ſanè inanes, veruntamen nondum tritis noſtrorum hominum auribus, nec erudita ciuitate tolerabiles.

N. N.

a. *Ita pleraque admirationi fuerunt apud veteres, quæ hominibus ad elegantiora certatim defluentibus fiunt contemptui, neſcio quid maius naſcitur Iliade.*

---

*Tiberius Gracchus, & Caius Carbo.*

## CAPVT XLVII.

VTinam in Tiberio Graccho, Caioque Carbone, talis mens ad remp. bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad benè dicendū fuit. Profectò nemo his viris gloria præſtitiſſet, ſed eorum alter propter turbulentiſſimum tribunatum (ad quem ex inuidia fœderis numantini bonis iratus acceſſerat) ab ipſa rep. eſt interfectus. Alter propter perpetuam in populari ratione lenitatem morte voluntaria, ſe à ſeueritate iudicum vindicauit. Sed fuit vterque ſummus orator, atque hoc memoriâ patrū teſte dicimus. *a* Nam & Carbonis, & Gracchi habemus orationes nondum ſatis ſplendidas verbis, ſed acutas, prudentiaque pleniſſimas. Fuit Gracchus diligentia Corneliæ matris à puero doctus, & Græcis literis eruditus. Nam ſemper habuit exquiſitos ex Græcia magiſtros, inter eos iam adoleſcens Diophantem Mityleneum Græciæ temporibus illis diſertiſſimum: ſed & breue tempus ingenij augendi, & declarandi fuit.

N. N.

a. *Notat Plutarchus in Gracchis tum fuiſſe* κατασχηματικὸν, ἐπαγωγὸν οἴκτου, ἡδὺν τῇ λέξει καὶ καθαρὸν, καὶ διαπεπονημένον ἀκριβῶς *Sedatum & mitem in miſeratione excitanda ſummum artificem, dictione ſuauem, purum, & exquiſitè elaboratum.*

Caius

*Caius Gracchus.*

## CAPVT XLVIII.

*Ciceronis & Bruti de Caio Graccho honorificum iudicium.*

SEd ecce in manibus vir,a & præſtantiſſimo ingenio, & flagranti ſtudio, & doctus à puero C. Gracchus: Noli enim putare quenquam pleniorem, & vberiorem ad dicendum fuiſſe. Et ille ſic prorſus, inquit, ſic exiſtimo, atque iuſtum penè de ſuperioribus ſolum lego. Imo planè, inquam, Brute legas cenſeo: Damnum enim illius immaturo interitu res Romanæ, latinæque fecerunt. Vtinam non tam fratri pietatem, quam patriæ præſtare voluiſſet. Quam ille facilè, tali ingenio diutius ſi vixiſſet, vel paternam eſſet, vel auitam gloriam conſequutus. Eloquentia quidem neſcio an habuiſſet parem neminem. Grandis eſt verbis, ſapiens ſententijs, genere toto grauis. Manus extrema non acceſſit operibus eius: præclarè inchoata multa, perfecta non planè. Legendus eſt hic orator, ſi quiſquam alius iuuentuti, non enim ſolùm acuere, ſed etiam alere ingenium poteſt. Hæc Cicero. Plutarchus etiam tum iuuenèm vocaliſſimum,b & firmis lateribus ad dicendum fuiſſe memorat, qui cum Veſtij cauſam defenderet populo, præ gaudio lymphato, & bacchante cum eum audiret, oſtendit cæteros oratores nihilo pueris præſtare.

*Eius virtutes.*

*Valer. Max. l. 8. c. 10.*

Quoties apud populum concionatus eſt, ſeruum Erycinum poſt ſe muſicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fiſtula pronuntiationis eius modos formabat, aut nimis remiſſos excitando, aut plus iuſto concitatos reuocando, quod ipſum calor, atque impetus actionis, attentum huiuſce temperamenti æſtimatorem non patiebatur. Extat nobiliſſimi ingenij fragmentum in eaaporia, & querela, quam habuit ad populum. Quo me miſer conferam? In capitoliumne, at fratris ſanguine redundat? An domum; matremne; vt videam lamentantem, & abiectam? &c. Hæc inclinata voce pronuntians ipſis inimicis lachrymas excuſſit.

N. N.

a *Hic eſt vt ait Plutarc. in Gracchis, quo dicente P. R. præ gaudio videbantur* συνενθουσιᾶν καὶ ϐακχεύεσθαι *iuxta quem cæteri oratores* παίδων μηδὲν διαφέροντες videbantur.

b *Primus inter dicendum in Roſtris deambulauit & togam ex humero diduxit iuxta Cleonis illius Athenienſis exẽplum, qui ſeuulſo pallio nudatum femur percutiebat. Vide Plutarch. in Gracchis.*

*Quintus Catulus.*

## CAPVT XLIX.

IAm Quintus Catulus non antiquo illo more, ſed noſtro (niſi quod fieri poteſt perfectius) eruditus, multæ literæ, ſumma vitæ, non ſolum naturæ comitas, incorrupta quædam latini ſermonis integritas, quæ perſpici, cùm ex eius orationibus poteſt, tum facillimè ex eo libro, quem de conſulatu, & de rebus geſtis ſuis conſcriptum molli, & Xenophonteio genere ſermonis miſit ad Aulum Furium Poetam familiarem ſuum. Hæc Cicero in Bruto, qui multa ſanè huic vbique tribuit, ſed præcipuè laudem incorrupti ſermonis, quæ virtus non eſt in oratorijs ornamentis ſubobſcura. Nam & in oratore ait, quid iucundius auribus noſtris vnquam accidit huius oratione Catuli? quæ eſt pura ſic, vt latinè loqui, penè ſolus videatur: ſic autem grauis, vt in ſingulari dignitate omnis tamen adſit humanitas, ac lepos. Quid multa iſtum audiens ſic iudicare ſoleo, quicquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraxeris vitioſius, & deterius futurum.

*Laus Catuli inſignis.*

*Marcus Antonius.*

## CAPVT L.

*Iudicium Ciceronis de Antonio, & Craſſo.*

*In Antonio, & Craſſo Romana eloquentia, cũ Græca æquata.*

*Antonii dotes. Prudentia & œconomia dicẽdi.*

*Memoria.*

QVam multi oratores commemorati ſunt, & quandiu in eorum enumeratione verſamur, cùm tamen ſpiſsè, atque vix, vt dudum ad Demoſthenem, & Hyperidem, ſic nunc ad Antonium, Craſſumque peruenimus. Nam ego ſic exiſtimo, hos oratores fuiſſe maximos, & in his primum cum Græcorum gloria latinè dicendi copiam æquatam. Omnia veniebant Antonio in mentem: eaque ſuo quæque loco, vbi plurimum proficere, & valere poſſent, vt ab Imperatore equites, pedites, leuis armatura, ſic ab illo maximè opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio. Imperatus ſemper aggredi ad dicendum videbatur, ſed ita erat paratus, vt Iudices, illo dicente, nonnunquam viderentur non ſatis parati ad canendum, fuiſſe verba ipſa, non illa quidem elegantiſſimo ſer-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Elocutio minime elegans.*

mone. Itaque diligenter loquendi laude caruit: neque tamen eſt admodum inquinatè locutus, ſed illa, quæ propria laus oratoris eſt in verbis. Nam ipſum latinè loqui, eſt illud quidem (vt paulò ante dixi) in magna laude ponendum: ſed non tam ſua ſponte, quam quod eſt à plerîſque neglectum. Non enim tam pręclarum eſt, ſcire latinè, quam turpe neſcire: (neque tam id mihi oratoris boni, quàm ciuis Romani proprium videtur.) Sed tamen Antonius in verbis, & eligendis (neque id ipſum tam leporis cauſa, quàm ponderis) & collocandis, & comprehenſione deuinciendis, nihil non ad rationem, & tanquam ad artem dirigebat: verùm multò magis hoc idem in ſententiarum ornamentis, & conformationibus.

*Elocutio nō eſt propria virtus oratoris.*

*Antonij ſtylus excelsè figuratus.*

Quo genere quia præſtat omnibus Demoſthenes, idcirco à doctis oratorum eſt princeps iudicatus, χήματα enim, quæ vocant Græci, ea maxime ornant oratorem: eaque non ita in verbis pingendis habent pondus, quàm in illuminandis ſententijs. Sed cum hæc magna in Antonio, tum actio ſingularis: quæ ſi patienda eſt in geſtum, atque vocem, geſtus erat non verba exprimens, ſed cum ſententijs congruens: manus, humeri, latera, ſupploſio pedis, ſtatus, inceſſus, omniſque motus cum verbis, a ſententijſque conſentiens, vox permanens, verum ſubrauca natura: ſed hoc vitium huic vni in bonum conuertebat. Habebat enim flebile quiddam in quæſtionibus, aptumque cum ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam commouendam: vt verum videretur in hoc illud, quod Demoſthenem ferunt, ei qui quæſiuiſſet, quid primum eſſet in dicendo, actionem; quid ſecundum, idem: & idem tertium reſpondiſſe. Nulla res magis penetrat in animos, eoſque fingit, format, flectit; taleſque oratores videri facit, quales ipſi ſe videri volūt, huic alij parem eſſe dicebant, alij anteponebant L. Craſſum. Illud quidem certè omnes ita iudicabant, neminem eſſe, qui horum alterutro patrono, cuiuſquam ingenium requireret.

*Actio ſingularis.*

N. N.

a *Plutarchus tribuit illi* λόγων Σειρῆνα, καὶ χάριν *Sirenem, & gratiam verborum, qua globum etiam circunſtantiam militum, qui ad eum interficiendum venerant, velut præſtigiis attonitum detinuit.*

*Marcus Craſſus.*

## CAPVT LI.

EQuidem quanquam Antonio tantum tribuo, quantum ſupra dixi, tamen Craſſo nihil ſtatuo fieri potuiſſe perfectius: Erat ſumma grauitas, erat cum grauitate iunctus facetiarum, & vrbanitatis oratorius, non ſcurrilis lepos: Latinè loquendi accurata, & ſine moleſtia diligens elegantia, in diſſerendo mira explicatio; cum de iure ciuili, cum de æquo, & bono diſputaretur, argumentorum, & ſimilitudinum copia. Nam vt Antonius coniectura mouendæ, aut ſedanda ſuſpicione, aut excitanda, incredibilem vim habebat, ſic in interpretando, in diffiniendo, in explicanda æquitate nihil erat Craſſo copioſius, idque cum ſæpè aliàs, tum apud centumuiros in M. Curij cauſa cognitum eſt. Ita enim multa, tum contra ſcriptum pro æquo, & bono dixit, vt hominē acutiſſimum Qu. Scæuolam, & in iure, in quo illa cauſa vertebatur, peritiſſimum, obrueret argumentorum, exemplorumque copia: atque ita tum ab his patronis æqualibus, etiam conſularibus, cauſa illa dicta eſt, cum vterque ex contraria parte ius ciuile defenderet, vt eloquentium Iuriſperitiſſimus Craſſus, Iuriſperitorum eloquentiſſimus Scæuola putaretur.

*Craſſi, & Antonij cōparatio, & de vtroq; Ciceronis iudicium. Craſſi vir tutes. Grauitas, comitas, elegantia ſermonis, in explicanda æquitate copia.*

*Seruius Sulpitius.*

## CAPVT LII.

NOn facilè, quem dixerim plus ſtudij, quā Seruium, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum diſciplinas adhibuiſſe: nam & in ijſdem exercitationibus ineunte ætate, fuimus, & poſtea vna Rhodum ille etiam profectus eſt, quo melior eſſet, & doctior: & inde vt redijt, videtur mihi in ſecunda arte primus eſſe maluiſſe, quam in prima ſecūdus. Atque haud ſcio, an par principibus eſſe potuiſſet, ſed fortaſſe maluit, id quod eſt adeptus, longè omniū, non eiuſdem modò ætatis, ſed eorum etiam, qui fuiſſent, in iure ciuili eſſe princeps.

N. N.

a *Seruius Sulpitius maluit Iuriſperitorum eſſe primus, quam Oratorum ſecundus. Eius eximia laudatio extat Philip. 9.*

*Cotta.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## *Cotta, & Sulpitius.*

### CAPVT LIII.

INueniebat acutè Cotta, dicebat purè, ac ſolutè, & vt ad infirmitatem laterum perſcienter contentionem omnem remiſerat, ſic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus, nihil erat in eius oratione niſi ſyncerum, nihil niſi ſiccum, atque ſanum, illudque maximum, quod cum contentione orationis flectere animos iudicum vix poſſet, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, vt idem facerent à ſe commoti, quod à Sulpitio concitati.

Fuit enim Sulpitius, vel maximè omnium, quos quidem ego audiuerim, Grandis, & vt ita dicam, *a* tragicus orator: vox cùm magna, tum ſuauis, & ſplendida: geſtus, & motus corporis ita venuſtus, vt tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus videretur. Incitata, & volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. Craſſum hic volebat imitari. Cotta malebat Antonium: ſed ab hoc vis aberat Antonij, Craſſi ab illo lepos.

N. N.

*a Tragica vaſtitas lepore, et urbanitate temperanda. Non benè audiunt oratores tragici, & ea forte de cauſſa Æſchinem* Τραγικὸν πίθηκον *Demoſthenes appellat.* ὡ παρὰ τὴν ὑπόκρισιν ἀτυχοῦντα, ἢ μιμούμενον μᾶλλον τραγῳδοὺς ἢ τραγῳδεῖν δυνάμενον *Harpocration.*

## *Hortenſius.*

### CAPVT LIIII.

HOrtenſij ingenium, vt *a* Phidiæ ſignum ſimul aſpectum, & probatum eſt. Nam cum admodum adoleſcens orſus eſſet in foro dicere, celeriter ad maiores cauſas adhiberi cœptus eſt: *b* quanquam inciderat in Cottæ, & Sulpitij ætatem, qui annis decem maiores, excellente tum Craſſo, & Antonio, deinde Philippo, poſt Iulio, cum ijs ipſis dicendi gloria comparabatur. Primum memoria tanta, quantam in vllo cognouiſſe me arbitror, vt quæ ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis eiſdem redderet, quibus excogitauiſſet. Hoc adiumento ille tanto ſic vtebatur, vt ſua commentata, & ſcripta, & nullo referente, omnia aduerſariorum dicta meminiſſet. Ardebat autem cupiditate ſic, vt in nullo vnquam flagrantius ſtudium viderim. Nullum enim patiebatur eſſe diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum, ſæpiſſimè autem eodem die vtrunque faciebat. Attuleratque minime vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius; partitiones, quibus de rebus dicturus eſſet, & collectiones, memor, & quæ eſſent dicta, contrà quæque ipſe dixiſſet. Erat in verborum ſplendore elegans, compoſitione aptus, facultate copioſior: eaque erat cū ſummo ingenio, tum exercitationibus maximis conſecutus. Rem complectebatur memoriter, diuidebat acutè: nec prætermittebat ferè quicquam, quod eſſet in cauſa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum. Vox canora, & ſuauis; motus, & geſtus etiam plus artis habebat, quam erat Oratori ſatis.

N. N.

a *Apparet in eo oratore fuiſſe magna ingenij vis, & felicitas, quæ ſanctiori cultura caruit. Melius dicebat, quā ſcripſit, & eius ſcripta, vt ait Quintilianus, intra famam ſunt, placebat aliquid eo dicente quod legentes non inueniebant Fab. l. 11. Memoria verò fuit adeo felici, vt cum in auctione perſideret diem totum, & omnes res, & pretia, & emptores ordine ſuo argentarijs recognoſcentibus. Ita vt nullo falleretur recenſeret Senec. Controuerſ. l. 1.*

b *Plus impendebat corpori, quam dictioni. Neſcires vtrum cupidius ad audiendum eum, an ad ſpectandum concurreretur Val. lib. 8. c. 10. de quo multa bell. noctium Attic. l. 1. Collega de iniurijs diem dixit, quod ſibi in anguſtiis obuius oſtenſu fortuito ſtructurum toga deſtruxerat, & capitale putauit, quod humero ſuo locum ruga mutaſſet. Itaque iam Dionyſia ſaltatricula appellabatur, quod malebat audire, quā,* ἄμουσον, *&* ἀγροδίαιτον *V. de Macrob. Satur, l. 3. c. 13.*

## *Marcus Craſſus Iunior.*

### CAPVT LV.

IS mediocriter à doctrina inſtructus, auguſtius etiam à natura, labore, *a* & induſtria, & quod adhibebat ad obtinendas cauſas curā etiam, & gratiam, in principibus patronis aliquot annis fuit. In huius oratione ſermo latinus erat, verba non abiecta, res compoſitæ diligenter, nullus flos tamen, neque lumen vllū: animi magna, vocis parua contentio, omnia ferè vt ſimiliter, atque vno modo dicerentur.

N. N.

a *M. Craſſus Orator ſub mediocris melius artem parandæ pecuniæ nouerat, quam eloquentiæ.*

---

*Pompeius.*

CAPVT LVI.

CNeus Pompeius, vir ad omnia ſumma natus, maiorem dicendi gloriam habuiſſet, niſi eum maioris gloriæ cupiditas, ad bellicas laudes abſtraxiſſet. Erat orationis ſatis amplus, rem prudenter videbat: actio verò eius habebat, & in voce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem. a Pompeij meminit etiam Dionyſius Halicarnaſſeus, & quaſdam eius epiſtolas Græcas citat, quibus de eloquentia, & optimo genere dicendi, non imperitam tulit ſententiam, ſed & Græcam orationem, quam apud Ptolomæum Regem haberet, commentatum fuiſſe Plutarchus memorat.

a *Cn. Pompeii apud Dionyſ. Halicarnaſſ. mentio.* Πομπήϊος ἔχων ἐν βιβλίῳ μικρῷ γεγραμμένον ὑπ' αὐτοῦ λόγον ἑλληνικὸν ᾧ παρασκεύαστο χρῆσθαι πρὸς τὸν Πτολομαῖον.

---

*M. Callidius.*

CAPVT LVII.

SEd de M. Callidio dicamus aliquid, qui non fuit orator vnus è multis; potius inter multos propè ſingularis fuit: a ita reconditas, exquiſitaſque ſententias, mollis, & perlucens veſtiebat oratio: b nihil tam tenerum, quàm illius comprehenſio verborum, nihil tam flexibile, nihil quod magis ipſius arbitrio fingeretur, vt nullius oratoris æquè in poteſtate fuerit: quæ primum ita pura erat, vt nihil liquidius: ita liberè fluebat, vt nuſquam adhæreſceret: nullum niſi loco poſitum, & tanquam in vermiculato emblemate, vt ait Lucilius, ſtructū verbum videres: nec verò vllum, aut durū, aut inſolens, aut humile, aut in longius ductū: ac non propria verba rerum, ſed pleraq; tranſlata, ſic tamen, vt ea non irruiſſe in alienum locum, ſed immigraſſe in ſuum diceres; nec verò hæc ſoluta, nec diffluentia, ſed adſtricta numeris, non apertè, nec eodem modo ſemper, ſed variè, diſſimulanterque concluſis. Erant autem, & verborum, & ſententiarum illa lumina, quæ vocant Græci σχήματα, quibus tamē inſignibus in ornatu diſtinguebatur omnis oratio. Qua de re agitur autem, illud quod multis in locis Iuriſconſultorū includitur formulis, & vbi eſſet, videbat. Accedebat ordo rerū, plenus artis, actio liberalis, totumque dicendi placidum, & ſanum genus. Quod ſi eſt optimū ſuauiter dicere, nihil eſt quod melius hoc quærendum putes. Sed cum à nobis paulò antè dictum ſit, tria videri eſſe, quæ orator efficere deberet, vt doceret, vt delectaret, vt moueret; duo ſummè tenuit, vt & rem illuſtrando et diſſerendo, & animos eorum, qui audirent, deuinciret voluptate. Aberat tertia illa laus, qua permoueret, atque incitaret animos: quam plurimum pollere diximus: nec erat vlla vis, atque contentio, ſine conſilio, quod eos, quorum altior oratio, actioque eſſet ardentior, furere, & bacchari arbitraretur: ſiue quod natura non eſſet ita factus, ſiue quod non conſueſcet, ſiue quod non poſſet. Hoc vnum illi, ſi nihil vtilitatis habebat, abfuit: ſi opus erat, defuit.

*Optimus metaphorarum vſus.*

*Perfectio eloquentiæ non eſt ſola ſuauitas.*

---

*Piſo Tullij gener.*

CAPVT LVIII.

STudio autem neminem, nec induſtria maiorem cognoui: quanquam ne ingenio quidem, qui præſtiterit facilè dixerim a C. Piſoni genero meo: nullum tempus illi vnquam vacabat, aut à forenſi dictione, aut à commentatione domeſtica, aut à ſcribendo, aut à cogitando, itaque tantos proceſſus efficiebat, vt euolare, non excurrere videretur. Eratque verborum, & delectus elegans, & apta, & quaſi rotunda conſtructio; cumque argumenta excogitabantur ab eo multa, & firma ad probandū, tum concinnæ, acutæque ſententiæ, geſtuſque natura ita venuſtus, vt ars etiam, quæ non erat, & è diſciplina motus quidam videretur accedere. Vereor ne amore videar plura, quam in illo fuerint dicere: quod non ita eſt (alia enim de illo maiora dici poſſunt) nam nec continentia, nec pietate, nec vllo genere virtutis, quenquam eiuſdem ætatis, cum illo conferendam puto.

N. N.

a *Laus Piſonis, quæ data potius videtur à M. Tullij cognationi, quam ſcriptionis neceſſitati: nō eſt enim alioquis inter oratores nominatus.*

C. LI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

### *C. Licinius Caluus.*

### CAPVT LIX.

*Moroſa, & meticuloſa eloquentia plus habet operæ, minus felicitatis.*

CAius Licinius Caluus accuratius quoddam dicendi, & exquiſitius afferebat genus: quod quanquam ſcienter, eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in ſe, atque ipſe ſeſe obſeruans, metuenſque ne vitioſum colligeret, etiam verum ſanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata doctis, & attentè audientibus erat illuſtris, à multitudine autem, & à foro, cui nata eſt eloquentia deuorabatur. Atticum ſe Caluus dici oratorem volebat, inde iſta exilitas, quam de induſtria conſequebatur.

### *C. Iulius Cæſar.*

### CAPVT LX.

MEns magna C. Iulij Cæſaris, & vt ait Plinius, quodam igne volucris bellorum laureis eloquentiæ palmas adtexuit, de quo ſummi oratoris extat iudicium honorificentiſſimum. Cæſar, inquit, rationem adhibens, conſuetudinem vitioſam, & corruptam pura, & incorrupta conſuetudine emendat, itaque cum ad hanc elegantiam verborum latinorũ, quæ etiam, ſi orator non ſis, & ſis ingenuus ciuis Romanus, tamen neceſſaria eſt, adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, (tum videtur tanquam tabulas benè pictas collocare in bono lumine.) Hanc cum habeat præcipuam laudem in communibus non video, cui debeat cedere, ſplendidam quandam, minimeque veteratoriam dicendi rationem tenet, voce, motu, forma etiam magnifica, & generoſa quodammodo orationes eius, mihi vehementer probantur. *a* Atque etiam commentarios quoſdam ſcripſit rerum ſuarum, valde quidem (inquam) probandos. Nudi enim ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta. Sed dum voluit alios habere parata, vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt iſta calamiſtris inurere, ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit. Nihil enim in hiſtoria pura, & illuſtri, breuitate dulcius. At lib. 3. de Oratore, tribuit illi ſingularem dexteritatem, quod res tragicas penè comicè, triſtes remiſsè, ſeueras hilarè, forenſes ſcenica propè venuſtate tractaret. Atque ita, vt neque iocus magnitudine rerũ excluderetur, nec grauitas facetijs minueretur. Plutarc. ait eum φῦναι πρὸς λόγους ἄριϛα, καὶ διαπονῆσαι φιλοτιμώτατα. Splendorem orationis illi tribuit Cornel. Tacitus, ſicut alij indolem Cœlio, ſubtilitatem Calidio, grauitatem Bruto, acumen Sulpitio, acerbitatem Caſſio, diligentiam Pollioni, dignitatem Meſſalæ, ſanctitatem Caluo. Sed omnium optimè collegiſſe videtur Quintilianus, vbi ait Cæſarem dixiſſe eodem animo, quo bellauit.

N. N.

a *Extant earum fragmenta à Fuluio Vrſino collecta. Vt orationum in Funere Iuliæ, pro Bithinis. pro lege Plautia, ad Milites pro Sextilio, de Coniuratis. in funere Corneliæ. Item ex libris Anticatonis de auſpiciis, & analogia.*

### *Criſpus Saluſtius.*

### CAPVT LXI.

CRiſpus Saluſtius, quod præclarè dictum eſt à Lipſio mirandus magis, quam iudicandus. Acre, & ſublime viri ingenium, dicendi vis magna, crebræ ſententię, neruoſa breuitas. Atque vt in minoribus conchis, quod aiunt, illuſtriores ſunt Margaritæ, ſic in Saluſtij orationibus, breuibus ijs quidem, ſed in breuitate conſpicuis generoſiores ſenſus latent, & maiora eloquentiæ ornamenta. Quippe narrat preſsè, irrepit ſubtiliter, pugnat robuſtè, verbis vix vnquam temerarijs, ſed acri caſtigatione delectis, ſententijs veris, concionibus cultis. Quamquam ſuis næuijs non caruit, de quibus in comparatione Ciceronis, & Saluſtij plenius dicturus ſum.

## M. TVLLIVS CICERO, PRO quo Apologia.

*Contra Κικερωνομάϛιγα, qui ferream Ciceronis eloquentiam, auream Demoſthenis nominarat.*

### CAPVT LXII.

*Quicquid Romana eloquentia habet, quod inſolenti Græcia, aut op-*

ATtigimus humanæ culmen eloquentiæ, iam quò progrediatur ſtylus non habet. Hic ille eſt Marcis Tullius dono quodam prouidentiæ genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur, par Imperio Romano ingenium,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ponat, aut præferat. circa Ciceronem efſloruit Senec. contr. l. 1. Fab. l. 10. lib. 7. de Cardan. ſubtilit.*

*Oratio Ciceronis comparatur cũ Achate.*

genium, os magnum, ſapiens, beatum, nectare, & ambroſia diffluens, ex omnium ſeculorum, ingeniorumque virtutibus collecta in vnum perfectio. Vir de quo dubites, an ipſe totus ex eloquentia, an ex ipſo tota eloquentia ſit confecta. Certe nihil eſt facundius tot ſunt in eo virtutes, quot genera eloquentiæ, quot dicta, tot purpuræ, quot verba, tot flores. Achates eſt profecto eius ſtylus, qui lapillus, tam varij fertur generis, vt vnum lapidem eſſe minimè credas. Candidus quippe eſt, rubens, croceus, cinereus, viridis, niger, varius, cœruleus, quid moror? Huic vni nec omnium aliarum gemmarum colores ſufficiunt, ille lucos, prata, animalia, flumina, flores, & arbores refert mirabili naturæ laſciuientis ludo. Haud diſſimiliter in Tullio amœna orationis varietate, omnes Rhetorum colores, omnes ingeniorum virtutes, omnes elegantiarum deliciæ, ad certamen vſque luxuriant. Grandis eſt, temperatus, laxus, acutus, preſſus, effluens, volubilis, lentus, velox, remiſſus, ſuauis, acer, inſignis, florens, pictus. Vnus omnia diffuſa per tot oratores ornamenta complexus eſt.

*Proteus Ægyptius miraculum Homericũ typus perfectæ eloquentiæ. Hanc poſt Philoſtratum σύγκρισιν attigit Ennodius ep. 1. l. 1.*

Dicam excelſius, Proteus Aegyptius eſt miraculum Homericum; multæ quidem eius, diuerſæque formæ, in aquam funditur, in ignem accenditur, in leonem excandeſcit, in ſuem ruit, ſerpit in draconem, aſſilit in pantheram, aſſurgit in arborem. Quomodo? labitur ſine ſalebris grandis oratio: amnis eſt, incaleſcit, ardet, inflammatur? fit incendium: init prælia? nunc leonem rugientem, nunc irruentem aprum videre te credas. Animos auditorum ſubit per cuniculos? non ſerpens callidius ſe inſinuat. Aperte in hoſtes exilit? non panthera velocius enicat. Mox ablegato hoc forenſi genere ad philoſophiam conuertit ſtylum? arbor eſt Xerxis aurea, lęta, ſublimis, colluſtrata, partim floarum amœnitate, partim fructuum copia luxurians.

*Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit. Quint. all. 10.*

Eruditus eſt, multæ in eo literæ, ſumma nõ vitæ ſolùm, atque naturæ (quod ipſe de Quinto Catulo dixit) ſed orationis etiam comitas, & incorrupta quædam latini ſermonis integritas. Prœmiatur aptè, narrat apertè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelſe, humilia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperatè dicit, poſtremo docet, delectat, afficit, nihil non præſtat. Miramur in vnum maieſtatem Platonis, ſuauitatem Iſocratis, vim Demoſthenis, ſubtilitatem Lyſiæ, Hyperidis venuſtatem, Theophraſti elegantias, Demetrij myrothecia coaluiſſe. Ecquis deinde ei comparatus nõ ſordeat?

Demoſthenem cum Cicerone multi comparant, hunc alij extollunt, alij illum minuunt. Ego primùm, quod grauiſſimi authores cenſuerunt, deinde etiam, quid ſentiam hoc loco exponam. Primus opinor Cæcilius, Calētianus, Siculus teſte Suida, Demoſthenis, & Tullij cõparationem deſcripſit, quod opuſculum quale fuerit neſcimus, neque enim extat, ſed idipſum Plutarchus, & authorem condemnat temeritatis. Plutarchus homo Græcus, nec ſatis literarũ latinarum peritus modeſtè ſtyli comparationem defugit in paralellis, Dionyſius Longinus grauiſſimus cenſor, hæc de vtroque ſcribit.

## *IVDICIVM LONGINI DE CIcerone, & Demoſthene.*

Πλουσιώτατα καθάπερ, ἢ πέλαγος εἰς ἀναπεπταμένον κέχυται πολλαχῆ μέγεθος. ὅθεν οἶμαι κατὰ λόγον ὁ μὲν ῥήτωρ ἅτε παθητικώτερος, πολὺ τὸ διάπυρον ἔχει καὶ θυμικῶς ἐκφλεγόμενον. ὁ δὲ κατεσὼς ἐν ὄγκῳ, καὶ μεγαλοπρεπεῖ σεμνότητι, οὐκ ἔψυκται μὲν ἀλλ' οὐκ οὕτως ἐπέστραπται. (Hæc ex abrupto quodam ſermone, cadunt tamen in hanc comparationem.) Οὐ καὶ ἄλλα δέ τινα ταῦτα ἐμοὶ δοκεῖ, φίλτατε Τερεντιανὲ, λέγω δὲ εἰ καὶ ἡμῖν ὡς Ἕλλησιν ἐφεῖταί τι γινώσκειν, καὶ ὁ Κικέρων τοῦ Δημοσθένους ἐν τοῖς μεγέθεσι, παραλλάττει. ὁ μὲν γὰρ ἐν ὕψει τὸ πλέον ἀποτόμῳ, ὁ δὲ Κικέρων ἐν χύσει. καὶ ὁ μὲν ἡμέτερος, διὰ τὸ μετὰ βίας ἕκαστα, ἔτι δὲ τάχους, ῥώμης, δεινότητος, οἷον καίειν τε ἅμα καὶ διαρπάζειν, σκηπτῷ τινι παρεικάζοιτ' ἂν ἢ κεραυνῷ. ὁ δὲ Κικέρων ὡς ἀμφιλαφὴς ἐμπρησμὸς, οἶμαι πάντη νέμεται, καὶ ἀνειλεῖται, πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον διακληρονομούμενον ἄλλοτ' ἀλλοίως ἐν αὐτῷ καὶ κατὰ διαδοχὰς ἀναζεφόμενον. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὑμεῖς ἂν ἄμεινον ἐπικρίνοιτε. Καιρὸς δὲ τοῦ Δημοσθενικοῦ μὲν ὕψους, καὶ ὑπερτεταμένου ἐν ταῖς δεινώσεσι, καὶ τοῖς σφοδροῖς πάθεσι, καὶ ἔνθα δεῖ τὸν ἀκροατὴν τὸ σύνολον ἐκπλῆξαι, τῆς δὲ χύσεως ὅπου χρὴ καταντλῆσαι. τοπηγορίαις τε γὰρ, καὶ ἐπιλόγοις, κατὰ τὸ πλέον, καὶ παραβάσεσι καὶ τοῖς φραστικοῖς ἅπασι, καὶ ἐπιδεικτικοῖς, ἱστορίαις τε, καὶ φυσιολογίαις, καὶ οὐκ ὀλίγοις μέρεσιν ἁρμόδιος.

Inter-

### *Interpretatio Latina.*

Opulentiſſimè quidem non ſecus, ac pelagus in laxam plerumque diffunditur magnitudinem: ex quo (opinor) in ſermone Orator, vt qui longè eſt in affectibus vehementior, magnam habet ignis copiam, acri quodam animi ardore deflagrantem. Hic verò conſiſtens in grauitate, & ampliſſima quadam maieſtate nõ friget quidem, ſed non ita corruſcat fulguribus. Nec alia ratione, mea quidem ſententia, quantum Græcis hominibus diiudicare licet, Ciceronis, & Demoſthenis diſſimilis eſt magnitudo: Hic enim in ſublimitate prærupta viget, vt plurimum; ille in diffuſa. Et noſtrum quidẽ, cum ſingula queque cum acrimonia, celeritate, robore, vehementia, velut adurat, atque diripiat turbini quiſpiam, aut fulmini, iure, ſimillimum dicat. At Cicero, quaſi vaſtiſſimum (opinor) incendium, vndique depaſcitur, & conuoluitur, inflammatione multa, & pertinaci, æquè viciſſim ſibi, quaſi ex ſorte ſuccedentibus nouis ignium alimentis inutrita: Sed vos hæc melius dijudicaueritis. Demoſthenicæ porrò ſublimitatis, & vehementiſſimæ illius contentionis, vſus eſt in exaggerationibus, violentiſque affectibus, & vbi auditor totus eſt ſtupore percellendus. At diffuſio maximè valet, vbi animus quaſi immiſſo flumine perluendus occurrit. Eſt enim locorum frequentationibus, & epilogis, vt plurimùm, & digreſſionibus, & huic adipali dicendi generi, atque epidictico, hiſtorijs præterea, phyſicisque narrationibus, atque alijs haud perpaucis congruens partibus hæc amplificatio.

### *Iudicium Fabij Quintiliani.*

*Quint. l. 10. c. 1.*

CIceronis, & Demoſthenis virtutes, pleraſque arbitror ſimiles, conſilium, ordinem diuidendi, præparandi, probandi rationem, omnia denique, quæ ſunt inuentionis: in eloquendo eſt aliqua diuerſitas, denſior ille, hic copioſior, ille concludit aſtrictius, ille latiùs pugnat, ille acumine ſemper; hic frequenter pondere; illi nihil detrahi poteſt, huic nihil adijci; curæ plus in illo, in hoc naturæ: ſalibus ſanè, & commiſeratione, qui duo affectus plurimùm valent, vincimus.

*Cicero Demoſthenem vincit miſeratione, & ſalibus.*

### *Iudicium Cornelij Taciti.*

SEd quomodo inter Atticos Oratores primæ Demoſtheni tribuuntur: proximum autem locum Aeſchines, & Hyperides & Lyſias, & Lycurgus: omnium autem conſenſu, hæc oratorum ætas maximè probatur: ſic apud nos a Cicero quidem cæteros eorundem temporum diſertos anteceſſit: Caluus autem, & Aſinius, & Cæſar, & Cœlius, & Brutus, ſic iure, & prioribus, & ſequentibus anteponuntur. Nec refert, quod inter ſe ſpecie differant, cùm genere conſentiant. At ſtrictior Caluus, numeroſior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Cœlius, grauior Brutus, vehementior, & plenior, & valentior Cicero.

Ex ijs apparet Ciceronem, ne ab ipſis quidẽ Græcis Demoſtheni poſtponi, imò præferri. Longinus, inquam, b Ciceronem feruere dicit, Demoſthenem autem non frigere: vtrum vehementius? Demoſthenem, ampſum quidem, & maieſtate grauem: Ciceronem non amplum modò, neque amplitudinem ipſam, ſed pelagus in immenſam magnitudinem diffuſum nominat: vtrum maius? Ad ſummum Demoſthenem cum turbine, & fulmine: Ciceronem, cum ingenti incendio omnia depaſcente comparat: vtrum efficacius? Quintil. Ciceroni Demoſthenem parem in multis, in affectionibus miſerationis apertè inferiorem pronuntiat.

At quid eſt Orator ſine hoc affectu? hoc quod apis ſine aculeo. Tacitus vtrumque primum in ſua gente facit, & rectè. Hæc fuit D. Hieronymi ſententia, cum libro de vita Clericorum, de Cicerone ſic ſcribit. (Demoſthenes tibi præripuit, ne eſſes primus Orator, tu illi ne ſolus eſſet.) Vtrumque oratorem perfectum fuiſſe ſignificat: ſed Demoſthenem ætate primũ. Ex quo, non facilè patior eos, qui vix à limine Græcas literas ſalutarunt, Latinas haud ſatis intelligunt. & tamen de ſummis ingenijs temerariam audent ferre ſententiam, quaſi tertij è cœlo Catones ceciderint, Ciceronem cum Demoſthene comparatum, mirum in modũ deterunt; à quibus, ſi rationem poſtules, hanc vnã afferunt; quod hic ſit neruoſus, ille totus Aſiaticus: & vnde colligunt? ex vna fortaſſe, aut altera Oratione, quam vix delibarint, continuò de toto corpore proclamant, & non vident Ciceronis ingenium ſplendidum, ſolers, acutum, ad omnia maxima natum, pro ratione rerum, locorum, & temporum flectere orationem. Si cauſſa popularis, delectatur, ille fuſo, æquabilique genere dicendi, quod tum multitudo deuorabat: at cùm in ſenatu agit, vt in deliberatione negotioſa, nihil illo neruoſius, quod qui non agnoſcunt, Philippicas eius ſu-

*Demoſthenes, cùm primus dicitur, eu ratione intelligendum, quod prior fuit tempore.*

ſumant in manus, & neruos (ſi modò ipſi, quid neruoſum ſit iudicio magis, quàm opinione ponderare velint) inuenient.

Ego nihil deterrendi Demoſthenis cauſſa dicam, cuius laudibus, nulla par inueniri poteſt oratio, ſed multa habuit, tum naturę, ac conditionis impedimenta, tum vitia, quæ in *c* Cicerone non fuiſſe, imò contraria planè ornamenta floruiſſe agnoſcimus.

*Cicero patris, & villæ meminit 2. de leg.*

*De infamia Demoſthenis in repe cuniaria Plutarch in Demoſthene Longinus lib* περὶ ὕψους *ita iudicat de Demoſt.* ἀνγέλωτα ποιεῖ μᾶλλον ἢ καταγελᾶται.

Ac primùm, quod ad rem maximè attinere cenſeo: ille *d* fabri filius, hic ſplendidiſſimi equitis Romani ſoboles: ille inter malleorũ ſtrepitus educatus, hic in parentis literati hominis ſinu, inter ruſticanas amœniſſimæ villę delicias: ille nihil præter forenſeũ vſum arripuit, hic omnis eruditionis vbertate pectus compleuit ſuum: ille ſordidioris fuit ingenij, hic animi liberaliſſimi: ille pro eloquentiæ theatro particulam Gręcię nactus eſt, hic Romam, terrarum lumen, caput Imperij, & arcem omnium gentium: ille eſt, vt ait Longinus, ἀνηθοποίητος, rudis in effingendis moribus, & affectibus, quæ ſumma virtus eſt oratoris, huius, in eo maxima eſt, quæ poteſt eſſe dexteritas: ille ſtrictus eſt, & ſiccus, hic fuſus, & mollis: ille demõſtratiui generis imperitus: hôc in laudationibus nullus floridior eſt, aut copioſior: ille, dum cupit iocari, non tam ridet, quam ſe deridendũ præbet, huius ſalibus, & amœnitate ingenij nihil vrbanius: ille, cùm venuſtatem affectat, ab ea recedit longiùs, hic lepore, & veneribus totus diffluit. Quæ omnia, ſi benè pendantur, non dubito, quin in Ciceronis partes quilibet æquus iudex futurus ſit propenſior.

Atque, ne illud gratis aſſumere videamur, vtrumque pleniùs, compoſitis etiam ex varijs orationibus locis, comparabo: quamquam ſcio, me lubricum iter, & periculoſæ (quod ait ille) plenum aleæ, inſiſtere.

Sed primùm illud à lectore poſtulo, ne me putet hic Cenſoris, aut iudicis partes ſuſtinere, nihil enim decernendi cauſa dicam, quaſi velim ipſe tantam, & tam grauem controuerſiam mei auctoritate definire. Deinde, ne cùm leuiora quædam vitia ab antiquis, & ipſis quidem fermè Græcis notata in Demoſthene proferentur, exiſtimet obtrectandi cauſa dici: abſit enim, vt tantum eloquentiæ ſydus nõ admirer, cuius tam illuſtrem eſſe conſtat gloriam, vt nec creſcere poſſit laudibus, nec vllis neuis infuſcari. Hæc tantum animi cauſſa, & vt liberè fatear, declamatorio potiùs ſtylo, quàm cenſorio, placuit in Κικερωνομάστιγας effundere; cæteroquì ſuum cuique ſenſum, & ſtomachũ relinquo.

Euellenda eſt autem imprimis, antequã longius progrediamur, opinio, qua Demoſthenem multi Ciceroni pręferunt, quod eum neruoſiorem arbitrentur. Primùm igitur quæro, num eloquentiam ſolis neruis, an etiam inſtar eximij corporis ſucco, ſanguine, & ea, quæ inde effloreſcit pulchritudinis gratia, conſtare velint? Sit (inquiunt) ex omni parte perfecta: bellè. Quid tum? Ciceroni pulchritudinem, & ſpeciem tribuemus, neruos verò omnes Demoſtheni? abſit. Quid enim (quæſo) ſunt in oratione nerui? Robur (opinor) orationis, (ſic enim omnes ſentiunt) & hoc caret Tullius? O Suada, & Mercuri meliora! Quorſum verò tam perfecto corpori nerui denegabuntur? Quorſum? Quia amplificator eſt Tullius, & fuſum habet dicẽdi genus. At in eo ipſo vis eſt, & neruus orationis: ſi enim verbis tantũ farciret amplificationes, non pluris facerem, quàm arenã ſine calce, nunc autem, cum tota eius amplificatio generoſis ſenſibus decurrat, quis illi vires deneget? vtrum validior ad comburendũ igniculus quiſpiam raptim exiliens, qualia ſunt veſtra neruoſa acumina, an flamma crebris alimẽtis creſcens in immenſum, qualis eſt Ciceronis oratio? Hoc imprimis conſiderandũ puto. Deinde magnam habendam rationem idiomatis, temporum, ætatis, aurium, quibus Cicero placere voluit; Nec omnia continuò in exemplũ, & comparationem trahenda, ſed ea, quæ argumentis, rebus, & perſonis aliquo modo congruunt.

*Longinus* περὶ ὕψους *p. 2. excuſsã amplificat onẽ non tãtùm neruum, ſed animam vocat orationis.*

N.N.

*c Genus, & educatio multum valent ad oratorem conformandum, iuxta illud:* Δοῦλον δὲ μηδ᾽ ἕνα γίνεσθαι ῥήτορα. *d De Demoſthene dixit Sidonius: (Fabro progenitus ſpreto, & Iuuen. ſatyr. 10. 130.*

*(Dijs ille aduerſis genitus, fatoque ſiniſtro,*
*Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus,*
*A carbone, & forcipibus, gladioque parante*
*Incude, & luteo vulcano ad Rhetora miſit.)*

*Quanquam non vilis quiſpiam faber, ſed honeſtus & locuples extitit.*

---

*Comparantur in genere demonſtratiuo.*

## CAPVT LXIII.

QVò igitur res tota fiat clarior, paribus armis, & ęquo Marte, faciã in ſingulis cõcurre-

*Ex com. Demoſt. &*

*Cicer. Diõ. Halic.li. περὶ Δημοσθένους δεινότητος.*

re.Extant Ciceronis exornatiuæ, & funebres orationes nonnullæ, qualis eſt Philippica nona, & decima quarta. Extant item Demoſthenis ἐπιτάφιος λόγος. Recte, opinor, iſta conferentur. Atque, vt in genere dicam, non quod ego ſentio, ſed quod Dionyſius Rhetor, homo in iudicando, & Demoſthenis, ſi quiſpiam alius ſupra modum laudator, & defenſor pugnaciſſimus iudicauit; iſta a Demoſthenis exornatiua oratio, in eos, qui pro patria occubuerant, videtur ſatis languida, & otioſa, nec oratoris dignitati, nec mortuorum laudibus, nec tantæ hominum expectationi, in ea, præſertim occaſione, reſpondere. Expendamus ſingula, & cõparemus cum ea laudatione, quã habuit M. Tullius, in eos, qui in acie contra Antonium, diẽ clauſerant extremum, vel etiam in Seruium Sulpitium, qui Legatus ad Antonium miſſus, ægrum, quem iam tradebat ſpiritum, vrgente vi morbi, in reipubl. cauſſa, profudit.

Primùm, Demoſthenis exordium, etſi verborum delectu, ornatiſque periodis, ſatis videbatur excelſum, tamen ſenſibus commune eſt: Ait enim, poſtquàm illi hæc prouincia impoſita eſt à ciuibus, vt funebrem laudationem haberet in eos, qui pro patria occubuerant, diu quæſiſſe, quo pacto, tam generoſos milites debitis laudibus afficeret, ad ſummum nihil inueniſſe dignum eorum honoribus, quòd, qui præ ſalute patriæ, inſitum omniũ medullis, & viſceribus, vitæ amorem neglexerint, omnem humanarũm laudum terminum exceſſerint. Sic igitur ille Demoſthenes.

b Ἐπειδὴ τοὺς ἐν τῷ τάφῳ κειμένους ἄνδρας ἀγαθοὺς, ἐν τῷ δὲ τῷ πολέμῳ γεγενημένους ἔδοξε τῇ πόλει δημοσίᾳ θάπτειν, καὶ προσέταξεν ἐμοὶ τὸν νομιζόμενον λόγον εἰπεῖν ἐπ' αὐτοῖς, ἐσκόπουν μὲν εὐθὺς ὅπως τοῦ προσήκοντος ἐπαίνου τεύξονται. ἐξετάζων δὲ καὶ σκοπῶν ἀξίως εἰπεῖν τῶν τετελευτηκότων ἕν τι τῶν ἀδυνάτων εὕρισκον ὄν· οἳ γὰρ τὴν ὑπάρχουσαν πᾶσιν ἔμφυτον τοῦ ζῆν ὑπερεῖδον ἐπιθυμίαν, καὶ τελευτῆσαι καλῶς μᾶλλον ἠβουλήθησαν, ἢ ζῶντες τὴν Ἑλλάδα ἰδεῖν ἀτυχοῦσαν, πῶς οὐκ ἀνυπέρβλητον παντὶ λόγῳ τὴν αὐτῶν ἀρετὴν καταλελοίπασιν.

Hæc quidem pulchra, ſed tamen vnicuique declamatorum eſt obuium, in iſtis exordijs à rerum pondere, & grauitate, qua ſe obrui dicunt, excuſationem capere, vitium imbecillitatem obtendere, obſequium, non eloquentiam profiteri.

Quantò diſertiùs, & rotundiùs Cicero.

Vtinam Dij immortales feciſſent, P.C. vt viuo potius Seruio Sulpitio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus, &c.

Hoc exordium, nec commune eſt, nec comparatum, ſed graue, ſuauique affectu temperatum: antitheſis præterea addit aliquid gratiæ, & iucunditatis. *Viuo, mortuo: gratias agere, honores quærere.* Accedit, quòd pro orationis menſura breue eſt: At Demoſthenes, cùm ſatis traxiſſet proœmium, iterum in media oratione, nouum facit exordium, & priori quidem ſimile; quippe ſe à rei magnitudine ſemper excuſat, num. 22. ἀπορῶ τί πρῶτον εἴπω πρὸς ὅ ἀ-μ... γάρ μοι πάντα εἰς ἕνα καιρὸν δύσκριτον καθίστησί μοι τὴν αἵρεσιν αὐτῶν. Et in hoc ſecundo exordio nimis humiliter beneuolentiam aucupatur, vt videatur ſibi ex hac oratione gratiam, & gloriam, non mortuis honorem quærere: nam, ſi beneuolentiam ciuium habuerit, orationem ſuam, licet mediocrem, χάριν, καὶ δόξαν reportaturam inſinuat. Hæc non multum faciunt ad orationis, in hoc præſertim genere, grauitatem.

Iam in oratione, & laudatione qualis vterque ſit, conſidera.

*Frigidus laudationis character in Demoſth.*

Demoſthenes tritam ſcholæ orbitam ſequutus, nihil de hoſtibus, de belli genere, de ratione mortis, de ducibus, de victoria, & cæteris id genus loquutus, laudare incipit mortuos à patria, & parentibus in communi: Ἄρξομαι δὲ ἀπὸ τοῦ γένους αὐτῶν ἀρχῆς. ἡ γὰρ εὐγένεια τῶν δὲ τῶν ἀνδρῶν ἐκ πλείστου χρόνου παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ἀνωμολόγηται. Tum veteres, & cõmunes fabulas longo orationis tractu narrare pergit, quod mortui Athenienſes ſint, & eorum c patres expulerint Amazones, Herculis liberos ab Euryſtei crudelitate eripuerint, ſeptẽ ducibus, ad Thebas, honores extremos mortuorum procurarint: deinde ad Xerxem, & Perſica bella delabitur; quæ ſanè, apud prudens quodque iudicium, nimis frigida ſunt, & otioſa. Quorſum enim hic apparatus? quid opus erat Theſeum, Herculem, Amazonas, Medos commemorare? an hæc magis ad mortuos, quàm ad alios quoſque Athenienſes attinebant? Quis non ineptum putaſſet Ciceronem, ſi aduerſus Antonium fortes laudaturus, initium ſumpſiſſet à Romulo, & Remo, Tatio, & Sabinis;

deinde Senonas,& Cymbros ; mox Hannibalem,& Pyrrum protuliſſet ? Quantò grauiùs, atque prudentiùs mittens omnia parerga, Seruium Sulpitium proprijs afficit laudibus.

(Nam reliqua Seruij Sulpitij vita, multis erit,præclariſque monumentis ad omnem memoriam commendata, ſemper illius grauitatem,fidem,præſtãtem in republica tuenda curam,atque prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit: Nec verò ſilebitur admirabilis quædam,& incredibilis,&penè diuina eius in legibus interpretandis, æquitateque explicãda ſcientia.Omnes ex omni ætate,qui in hac ciuitate intelligentiam iuris habuerunt,ſi vnũ in locum conferantur,cum Seruio Sulpitio nõ ſunt comparandi,&c. Hæc hominis ſunt propria,non ad trahendam moram,diludia.

***Dexteritas Ciceronis in laudando.***

In laudatione verò militum, non quærit, quæ ad Carthaginem trecentis antè annis, ab eorum maioribus geſta ſunt,cùm propriarum laudum ſatis amplam ſegetem nactus eſſet. Laudat in ducibus imperium, conſilium, grauitatem,conſtantiam, magnitudinem animi, felicitatem. In Panſa,initium confligendi; in Hirtio,ſuccurrendi alacritatem;in Cæſare, caſtrorum ſtrenuam defenſionẽ,in legione Martia incredibilem virtutem : mox ad hoſtes cõuertitur,Antonium exhibet,tanquam latronẽ ex graui naufragio lacerum, cum paucis fugientem, ſolem ipſum eius infortunio lætantẽ, fortiſſimorum verò Imperatorum victoriæ gratulantem. Hęc planè rei propria,& prudenti diſtributione compoſita, præclariſque motibus animata, vt in decurſu videbimus.

Demoſthenes tandem, poſt commemoratas Amazones, Euryſteos, Hercules, ad mediam ferè orationis partem denuò exorditur, & de proprijs mortuorum virtutibus dicit;commẽdat eos, quippe à prima ætate honeſtè acta, cum cognatis,& affinibus ; à prudentia, quòd pericula Græciæ longe antè præuiderint;à fortitudine,quòd pro ſalute patriæ, neque fortunis,neque vitæ pepercerint.

*Ab adoleſcentia honeſtè acta.*
Demoſth.

Οἱ δὲ γὰρ ἐξ ἀρχῆς ἐν πᾶσι τοῖς παιδεύμασιν ἦσαν ἐπιφανεῖς, τὰ πρέποντα κατὰ ἡλικίαν ἀσκοῦντες ἑκάστην, καὶ πᾶσιν ἀρέσκοντες οἷς χρὴ γονεῦσι, φίλοις, οἰκείοις. Hæc Cicero, tanquam humiliora, omittit.

*A prudentia.*

Καὶ γὰρ εἴ τις ἐφύετο κοινὸς πᾶσι κίνδυνος τοῖς Ἕλλησιν οὗτοι πρῶτοι προείδοντο. Hæc prouiſio periculorum,& belli ſuſcipiendi conſilium,potiùs attinet ad duces. Benè in Panſa Conſule collocat M. Tullius Cicero.

( Princeps enim omnium Panſa prælij faciendi,& cum Antonio confligendi, fuit. Dignus Imperator Legione Martia, digna Legio Imperatore : cuius ſi acerrimum impetum cohibere potuiſſet,vno prælio confecta res eſſet: ſed cùm libertatis auida Legio,effrænatiùs in aciem hoſtium irrupiſſet, ipſeque imprimis Pãſa pugnaret, duobus periculoſis vulneribus acceptis, ſublatus e prælio, Reipublicæ vitam reſeruauit.) Quam prudẽter dicta omnia:prouidentia, & animi magnitudo in Imperatore, volitans ardore belli alacritas in militibus exprimitur: deinde, quam bellè illud inſinuat, *Vitam Republicæ reſeruauit* : mox, *Ego verò hunc,non ſolùm Imperatorem, ſed etiam clariſſimum Imperatorem iudico* : qui cum, aut morte, aut victoria, ſe ſatisfacturum reipublicæ ſpopondiſſet,alterum fecit,alterius, Dij immortales omen auertant.Hæc grauiter, & prudenter pronuntiata.

*A fortitudine.* Demoſt.

Ἀλλὰ προσάντες καὶ παρασχόντες ἅπαντα προθύμως, καὶ σώματα, καὶ χρήματα, καὶ συμμάχοις, εἰς πεῖραν ἦλθον ἀγῶνος, εἰς ὃν οὐδὲ τῆς ψυχῆς ἐφείσαντο Benè quidem, quod tradentes omnia patriæ,prompto, & hilari animo,corpora,fortunas,ſocios, ad ſummum neque propriæ vitæ pepercerunt. Sed hæc etiam magis animata Cicero.

Sanguinem pro vita,libertate, fortuniſque populi Rom. pro Vrbe, templiſque Deorum immortalium profuderunt,&cæt.ſimilia.Sanguinem profundere ἐμφατικώτερον dictum, quàm corpora,& fortunas tradere,aut vitæ nõ parcere.

Græcus Orator vnum habet inſigne,vbi defunctorum virtutem animam Græciæ nominat. Demoſthenes.

Δοκεῖ δέ μοί τις ἂν εἰπὼν ὡς ἡ τῶν δὲ τῶν ἀνδρῶν ἀρετὴ, τῆς Ἑλλάδος ἦν ψυχὴ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν. ἅμα γὰρ τά τε τούτων πνεύματα ἀπηλλάγη τῶν οἰκείων σωμάτων, καὶ τὸ τῆς Ἑλλάδος ἀξίωμα ἀνῄρηται. Scio, quia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quia ſi quiſpiam alius hoc dixiſſet, continuò frigidum, & Gorgianum Græculi dixiſſent: ſed eſto, valeat, quanquam audax dictu eſt, in iſtis totam vim, & animam fuiſſe Græciæ. Qui igitur fuerunt maiores? qui poſteri futuri ſunt? ſi anima Græciæ in iſtis extincta eſt. Modeſtiùs Cicero.

(Quamobrem, maximum quidem ſolatium erit propinquorum, eodem monumento declarari, & virtutem ſuorum, & pietatem, & ſenatus fidem, & crudeliſſimi memoriam belli: in quo niſi tanta militum virtus extitiſſet, parricidio M. Antonij nomen populi Ro. occidiſſet.) Non dicit, eorum virtutem animam fuiſſe Reipublicæ: ſed eorum virtute liberatum ab interitu populi Romani nomen: quod ſatis per ſe magnificum eſt.

Demoſthenes poſtremò, per ſingulas Athenienſium tribus excurrens, oſtendit milites domeſticis laudibus, ab auctore quippe, & fundatore ſuæ cuiuſque tribus, fuiſſe incitatos ad decus: quod, vt oſtendat, veteres, & aniles fabulas commemorat, quas & frigidè rebus ſuis accommodare plerumque cogitur: vt, cum dicit Pandionidas, hoc eſt, Pandionidis tribus milites, à Procne, & Philomela fuiſſe ſtimulatos ad gloriam, quòd noluerint inferiores mulieribus videri. Primùm, parua laus eſt, quòd cõferantur cum mulierculis. Deinde quanta diſparitas inter mulieres priuatas, rixas exercentes cum adultero, & ſtupratore, atque vteri ſui fœtum membratim diſcerptum, coctum, elixum, execrandæ menſę apponentes, & inter generoſos milites, cum legitimis hoſtibus confligentes, pro patriæ ſalute, & gloria. Verba eius ſunt.

*Græci milites Pandionidis trib⁹, cũ Procne, & Philomela parũ aptè à Demoſth. comparati.*

ἐλθαν

Παρειλήφεσαν πανδιονίδαι Πρόκνην, καὶ Φιλομήλαν, τὰς Πανδίονος θυγατέρας, ὡς ἐτιμωρήσατο τηρέα, διὰ τὴν εἰς αὐτὰς ὕβριν. οὐ βιωτὸν μὴ ἐνόμιζον αὐτοῖς, εἰ μὴ συγγενῆ φανήσονται, τὸν θυμὸν ἔχοντες ἐκείναις, ἐφ' οἷς τὴν Ἑλλάδα ἑώρων ὑβριζομένην.

Nec grauiora, quæ de Oeneo, Hippothoonte, Aiace immiſcet, fabuloſa omnia, etiam pleraque probroſa.

Quantò prudentiùs Latinus Orator in iſtis non λεπτολογεῖ, per ſingulas legiones diſcurrens, ſed vnam duntaxat Martiam, quæ ſe fortiſſimè geſſerat, lectiſſimis verbis commendat.

CICERO.

Dignus Imperator Legione Martia, digna Legio Imperatore: (&) quæ mihi videtur diuinitùs ab eo Deo traxiſſe nomen, à quo populum Romanum generatum accepimus. Hęc ſobriè, & prudenter inſinuata.

Iam, quæ de ratione belli, & hoſtibus, & defenſa libertate dicenda erant, nullatenus, vel parcè attingit.

DEMOSTHENES.

Νομίζω τοίνυν καὶ τοῦ τῆς χώρας ἡμῶν ἐπιβῆναι τοὺς πολεμίους, πρὸς τῇ τῶν ἐναντίων ἀγνωμοσύνῃ τὴν τούτων ἀρετὴν αἰτίαν γεγενῆσθαι. Parum hoc eſt dicere, quòd eorum virtute repreſſi hoſtes, in Athenienſium fines non inſiluerint. Qui tandem illi hoſtes? At Latinus Orator, vt gloriam mortuorum illuſtriorem faciat, rectè hoſtium immanitatem, & pericula reip. exaggerat.

CICERO.

*d* Bellum inexpiabile infert quatuor conſulibus, vnus omnium latronum teterrimus: gerit idem bellum cum ſenatu, populoque Romano: omnibus, quanquam ruit ipſe cum ſuis, gladios, peſtem, vaſtitatem, cruciatũ, tormenta denuntiat: Dolabellæ ferũ, & immane facinus, quod nulla barbaries poſſit agnoſcere, id ſuo conſilio factum eſſe teſtatur. Deinde, & prodigium illud, & portentum L. Antonius, inſigne odium omnium hominum (vel etiam, ſi Dij oderint, quos oportet) omnium Deorum. Refugit animus P. C. eaque dicere reformidat, & de hoſtibus, & periculis. Quæ omnia faciunt ad clariſſimam laudem eorum, qui illos fuderunt, & victoriam ſuo cruore Reipublicę pepererunt: à quibus, non tantum fines, ſed vitã, libertatem, fortunas, vrbem, templa, & cætera ſeruata oſtendit.

Vterque perorat παθητικῶς.

DEMOSTHENES.

Οἱ μὲν δὴ ζῶντες οἰκεῖοι τούτων ἐλεεινοί, τοιούτων ἀνδρῶν ἐστερημένοι, καὶ συνηθείας πολλῆς, καὶ φιλανθρώπου διεζευγμένοι, καὶ τὰ τῆς πατρίδος πράγματ' ἔρημα, καὶ δακρύων καὶ πένθους πλήρη.

*Pathos Demoſthenis ſuaue.*

Hæc tamen ſubtriſtia, cùm præſertim pacem, & otium, fortes viri ſua morte peperiſſent. Itaque addit,

Οἱ δ' εὐδαίμονες τῷ δικαίῳ λογισμῷ πρῶτον μὲν ἀντὶ μικροῦ πολλοῦ, καὶ τὸν ἅπαντα εὔκλειαν ἀγήρω καταλείπουσιν.

## CICERO.

*Ciceronis affectus lõgè præſtantiores.*

Carere dicit affines iis viris, quos laudare, quàm lugere præſtat: mox erumpit in illam præclaram vocem. *O fortunata mors, quæ naturæ debita pro patria eſt potiſſimum reddita.* (&)

(In fuga fœda mors, & victoria glorioſa. Deinde, Actum igitur præclare vobiſcum, fortiſſimi, dum vixiſtis: Nunc verò etiam, ſanctiſſimi milites, quod veſtra virtus, nec obliuione, qui nunc ſunt, nec reticentia poſterorũ inſepulta eſſe poterit, cùm vobis immortale monumentum, ſuis pene manibus Senatus, populuſque Romanus extruxerit,) &c. quę perſequar fuſiùs in tractatu de imitatione. Planè Tullius Demoſthenem obruit: Neque tantũ habet motus miſerationis, ſed etiam lætos, grandes, heroicos, qualis eſt ille.

*Motus Ciceronis Heroicus.*

*O ſolem ipſum beatiſſimum, qui antequàm ſe abderet, ſtratis cadaueribus parricidarum, cũ paucis fugientem vidit Antonium.* Omninò, qui vtriuſq; ἐπιταφίους λόγους conſideratè voluerit inter ſe conferre, inueniet Ciceronem multis partibus grauiorem, quanquam laudationes in iſtis orationibus ex parte tantum attingit, alia enim tradenda ſuſceperat. Quid igitur, ſi in id omnem ſtyli aciem conuertiſſet?

*Chabria florentiſſimi ducis apud Demoſt. parũ cumulata.*

Iam verò, quæ de Chabria dicuntur, aduerſus Leptinẽ, qui tot bella geſſerat, tot trophæa erexerat, tot Reipublicæ decora pepererat; quomodo poſſint, cum minima Ciceroniani ſtili laudatione comparari. Sunt enim iſta ſatis ſimplicia, & narratiua.

## DEMOSTHENES.

*Orat. aduerſus Leptin. n. 121.*

158 μὲν οὖν ἴσως, καὶ ἄνευ τοῦ παρ' ἐμοῦ λόγου, ὅτι σπουδαῖος Χαβρίας ἦν ἀνήρ, οὐ μὴν κωλύει γε οὐδὲν κἀμὲ διὰ βραχέων ἐπιμνησθῆναι τῶν πεπραγμένων αὐτῷ. ὃν μὲν οὖν τρόπον ὑμᾶς ἔχων πρὸς ἅπαντας Πελοποννησίους παρετάξατο ἐν Θήβαις, καὶ ὡς Γοργόπαν ἀπέκτεινε ἐν Αἰγίνῃ, καὶ ὅσα ἐν Κύπρῳ τρόπαια ἔστησε, καὶ μετὰ ταῦτα ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ ὅτι πᾶσαν ἐπελθὼν ὀλίγου δέω χώραν οὐδαμοῦ τὸ τῆς πόλεως ὄνομα οὔτ' αὐτὸν κατῄσχυνεν, &c. quæ hiſtorico pene ſtylo pertexuntur, ſine aculeis oratorijs. Quodſi iſtis Pompeius Ciceronis opponatur!

## CICERO.

*Pro lege Manil.*

Quis igitur hoc nomine ſcientior vnquam, aut fuit, aut eſſe debuit? qui è ludo, atque pueritiæ diſciplina, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atque in militiæ diſciplinam profectus eſt, qui extrema pueritia miles fuit ſummi Imperatoris, ineunte adoleſcentia, maximi ipſe exercitus Imperator? qui ſæpius cum hoſte conflixit, quàm quiſpiam cum inimico concertauit? plura bella geſſit, quàm cæteri legerunt? plures prouincias confecit, quàm alij concupierunt: cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris, non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs? non oſtenſionibus belli, ſed victorijs: non ſtipendijs, ſed triumphis eſt traducta. Quod denique genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuit fortuna reipub. ciuile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, &c.

At dices, Chabrias non erat Pompeius, fateor: habuit tamen in Chabria ſatis nobile argumentũ, quod parũ cumulatè tractauit: Nã, ſi quæ ad Thebas, quę in AEgina, contra Gorgopan, quæ in Cypro, quæ in AEgypto, vel minimo ſplẽdore orationis percenſuiſſet, eximiũ habuiſſent decus. Nunc autem virum tot trophæis clarum laudans σπουδαῖος, inquit, Χαβρίας ἦν ἀνήρ.

Quantò ampliùs, vel vnum Cæſaris adhuc pueri factum perſequitur Cicero.

(Laudo, laudo vos (Quirites) cùm gratiſſimis animis proſequimini nomen clariſſimi adoleſcentis, vel pueri potiùs, ſunt enim facta eius immortalitatis, nomen ætatis, multa memini, multa audiui multa legi, nihil ex omni ſæculorum memoria tale cognoui, &c.

*Qualis vterque in ſuis laudibus.*

In ſuis porrò laudibus, perſæpè nimius eſt Cicero; quanquam, & ſpecioſum habet argumentum, & aliqua temperat verecundia.

At Demoſthenes, ſatis inuerecundè ſe laudat, cùm dicit, multos quidem ſuperioribus temporibus extitiſſe oratores celeberrimos, puta, Calliſtratos, Ariſtophontes, Thraſybulos; neminem autem ex omni ſæculorum fama compertum, qui ſe totum Reipublicæ traderet, præter ſe, & omnibus melius edicta ſcribere, negotia adminiſtrare, legationes obire.

Verba eius ſunt.

Καί τοι πολλοὶ παρ' ἡμῖν ἄνδρες Ἀθηναῖοι γεγόνασι ῥήτορες ἔνδοξοι, καὶ μεγάλοι πρὸ ἐμοῦ

ἐμοῦ Καλλίςρατος ἐκεῖνος, Ἀριςοφῶν κεφαλὸς, Θρασύβουλος, ἕτεροι μύριοι. ἀλλ᾽ ὅμως οὐδεὶς τούτων πώποτε διὰ παντὸς ἔδωκεν ἑαυτὸν εἰς οὐδὲν τῇ πόλει, &c.

*In orat. de coron. n. 385.* Tandem addit: ἐπεπείσμην δ᾽ ὑπὲρ ἐμαυτοῦ, τυχὸν μὲν ἀναισθητῶν, ὅμως δ᾽ ἐπεπείσμην, μήτε γράφοντ᾽ γράψαι ἂν ἐμοῦ βέλτιον οὐδένα, μήτε πράττοντα πρᾶξαι, μήτε πρεσβεύοντα πρεσβεῦσαι προθυμότερον, μήτε δικαιότερον, διὰ ταῦτα ἐν ἅπασιν ἐμαυτὸν ἔταττον Hoc eſt planè arrogans dictum.

Quid, ſi Catilinam fregiſſet, aut Parthos ex Amano expuliſſet, & triumphos Romanos fuiſſet meriuts, quæ omnia Ciceroni contigerunt?

In vituperando mordax eſt, atque amarulẽtus Demoſthenes, & quauis veſpa acerbior. Extat omnium nobiliſſima eius oratio pro Corona, in qua tamen multa, plena tædij legentibus occurrunt. Illud vnum, quod eſt omnium conſenſu illuſtriſſimum, non præteribo. Confert ſuam fortunam cum AEſchinis conditione, per antitheſin, & poſtquàm de ſua pueritia, inſtitutione, diuitijs, rebus geſtis dixit, quæ poterat, inuehitur in Aeſchinem, eique objicit, quod in magna egeſtate fuerit educatus, vnà cum patre, ad ludum literarium ſeſſitans, atramentum terens, & ſubſellia ſpongijs detergens, & pædagogium verrens, famuli vicem obiens, non ingenui.

## DEMOSTHENES.

Παῖς μὲν δὴ ὢν μετὰ πολλῆς ἐνδείας ἐτράφης ἅμα τῷ πατρί, πρὸς τῷ διδασκαλείῳ προσεδρεύων, τὸ μέλαν τρίβων, καὶ τὰ βάθρα σπογγίζων, καὶ τὸ παιδαγωγεῖον κορῶν, οἰκέτου τάξιν οὐκ ἐλευθέρου παιδὸς ἔχων.

Hæc mordacia quidem, ſed maledicta de triuio. Non eſt enim, inquit Seneca, in paupertate vitium; multò minus in ea humili opera, quàm filius patri nauabat.

Prudentiùs, & grauiùs Cicero, cum Antonio objicere potuiſſet, non quidem iſtas AEſchinis ſordes, ſed familiæ paupertatem: hanc contumeliam non dicit, ſed vitia objicit, & ita filium perſtringit, vt patris innocentiæ parcat.

## CICERO.

Viſne igitur te inſpiciamus à puero? ſic opinor, à principio ordiamur. Teneſne memoria prætextatum te decoxiſſe, patris, inquit iſta eſt culpa eſt, concedo: etenim eſt pietatis plena defenſio. Illud tamen audaciæ tuæ, quod ſediſti in quatuordecim ordinibus, cùm eſſet lege Roſcia decoctoribus certus locus cõſtitutus; quamuis, qui fortunæ vitio non ſuo decoxiſſet.

Hæc generoſa, & neruoſa: excuſat paupertatem, accuſat hominem.

Quid verò vbi priuatas familiæ ſordes, in Piſone inſectatur, quanta illud ipſum generoſitate, quanta gratia facit.

Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquiſitum (laudabo inimicum) ne magnoperè quidem quidquam præter libidines ſumptuoſum: toreuma nullum, maximi calices, & hi, ne contemnere ſuos videatur, placentini: extructa menſa, non conchilijs, & piſcibus, ſed multa carne ſubrancida, ſerui ſordidati miniſtrant, nonnulli etiam ſenes: idem coquus, idẽ Atrienſis, piſtor domi nullus, nulla cella, panis, & vinum à propola, atque de culpa, Græci ſtipati, quini in lectulis ſepe plures, ipſe ſolus, bibitur vſque eo, dum de ſolio miniſtretur, vbi galli cantum audiunt, auum ſuum reuixiſſe putat, menſam tolli iubet. *Feſtiuitas, & gratia Ciceronis in vituperationib. quæ virtus Demoſthenis defuit.*

## DEMOSTHENES.

Demoſthenes poſt hæc obijcit Aeſchini vili ſeruitium inter Myſtas Cereris, quod matri initianti libros lectitaret, hinnulorum pellibus, & aqua luſtrali expians initiatos, dein extergens luto, & furfuribus, mox conſurgens ab initiatione canere iuberet Ἔφυγον κακὸν εὗρον ἄμεινον, præiens ipſe vlulanti voce: Thiaſos quoque per vrbem duceret fœniculo, & alba populo redimitos, ſerpentes attollens, & clamitans Euoe Saboe, & interim ſaltitans, hyes Attes, Attes hyes ipſe auſpex anteambulabo, & Laternarius, ex quo Mercedis loco ab aniculis capiebat placentas, & ſcriblitas. *Demoſth. mordaciſſimè Aeſchinem inſectatur, ſed triuialibus maledictis.*

Τῇ μητρὶ τελούσῃ τὰς βίβλους ἀνεγίνωσκες, καὶ τ᾽ ἄλλα συνεσκευώρου, τὴν μὲν νύκτα νεβρίζων, καὶ κρατηρίζων, καὶ καθαίρων τοὺς τελουμένους, καὶ ἀπομάττων τῷ πηλῷ, καὶ τοῖς πιτύροις, καὶ ἀνιστὰς ἀπὸ τοῦ καθαρμοῦ, καὶ κελεύων λέγειν ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον ἐπὶ τῷ μηδένα πώποτε τηλικοῦτον ὀλολύξαι σεμνυνόμενος, ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοὺς καλοὺς θιάσους ἄγων διὰ τῶν ὁδῶν τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθρῳ. *De corona.*

*Parias serpentum proprium.* *Attos, ſiue Attes honoratur à Phrygibus, vt miniſter magnæ matris. Harpocratio.*

θρῳ, καὶ τῇ λευκῇ τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων, καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν, καὶ βοῶν Εὐοῖ Σαβοῖ, καὶ ἐπορχούμενος Ὕης Ἄττης, Ἄττης Ὕης ἔξαρχος, καὶ προηγεμὼν, καὶ κιττοφόρος, καὶ λικνοφόρος, καὶ τὸ τοιαῦτα ὑπὸ τῶν γραϊδίων προσαγορευόμενος μισθὸν λαμβάνων τούτων ἔνθρυπτα, καὶ στρεπτοὺς καὶ νεήλατα.

*Longè aliter Cicero Lupercalia obiicit Antonio, quam Demoſthenes Aeſchini Cereris myſteria.*

Hæc quidem omninò per ſe, & ridicula, & mordacia: magnificentius tamen aliquantò Cicero Lupercalia obijcit Antonio, quàm ille Cereris myſteria Aeſchini, neque enim ſimplici narratione rei contentus eſt, ſed præterea faces dicendi.

## CICERO.

*Ciceronis aculeata oratio.*

Ad Lupercalia veniamus, non diſſimulat, Patres conſcripti, apparet eſſe commotum: Sudat, pallet, quidlibet, modò ne nauſeet, faciat, quod in porticu Numicia fecit.

Quid hac oratione vehementius? pergit. Quæ poteſt eſſe tantæ turpitudinis defenſio? cupio audire: vt videam vbi Rhetoris tanta merces, vbi campus Leontinus appareat.

Sedebat in roſtris Collega tuus amictus toga purpurea, in ſella aurea coronatus aſcendis: accedis ad ſellā: ita eras Lupercus, vt te eſſe Cōſulem meminiſſe deberes. (& cæt. mox) At etiam miſericordiam captabas: ſupplex te ad pedes abijciebas: Quid petens? vt ſeruires? Tibi vni peteres: qui ita à puero vixeras, vt omnia paterere, facilè ſeruires: à nobis, populoque Romano mandatum id certè non habebas. O præclaram illam eloquentiam tuam, cùm es nudus concionatus? Quid hoc turpius, quid fœdius? quid ſupplicijs omnibus dignius? Num expectas dum te ſtimulis fodiam? hæc te, ſi vllam partem habes ſenſus, lacerat, hæc cruentat oratio (& cæt.)

Sunt planè iſta fulmina, non iocatur circa Panis ceremonias, & Lupercorum caprinas pelles, huiuſmodi minutias diſcutiens, ſed vehementiſſimam orationem vibrat, quæ vel à ſtatua penè ruborem exprimeret. Scio facta eſſe diſſimilia, nec non orationis genera: ſed Demoſthenes etiam in oratione de falſa legatione, vbi graui, & incenſo ſermone opus erat, in feruida quippe exclamatione, hæc eadem de triuio maledicta intorquet.

## DEMOSTHENES.

*Grauis exclamatio Demoſthenis, quæ degenerat in minutias.*

Καὶ τοιαῦτα συνειδὼς ἑαυτῷ πεπραγμένα ὁ ἀκάθαρτος τολμήσει βλέπειν εἰς ὑμᾶς, καὶ τὸν βεβιωμένον αὐτῷ βίον αὐτίκα δὴ κάλα ἐρεῖ λαμπρᾷ τῇ φωνῇ ἐφ' οἷς ἔγωγε ἀποπνίγομαι.

Magna exclamatio, & quæ faces promittit: mox degenerat in leuia conuicia. οὐκ ἴσασιν οὗτοι τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς τὰς βίβλους ἀναγινώσκοντα τῇ μητρὶ τελοῦσι, καὶ παῖδα ὄντα ἐν τοιάσοις, καὶ μεθύουσιν ἀνθρώποις κυλινδούμενον, μετὰ ταῦτα δὲ ταῖς ἀρχαῖς ὑπογραμματεύοντα, καὶ δυοῖν ἢ τριῶν δραχμῶν πονηρὸν ὄντα, τὰ τελευταῖα δὲ ἔναγχος ἐν χορηγίοις ἀλλοτρίοις ἐπὶ τῷ τριταγωνιστεῖν ἀγαπητῶς παρατρεφόμενον. ποῖον οὖν ἐρεῖς βίον, ὃν οὐ βεβίωκας.

Et tamen talium ſibi conſcius facinorum impurus iſte vos audebit intueri? & actum à ſe vitam clara ſtatim voce prædicabit? quæ res mihi ſpiritum intercludit. Num hi ſciunt te à primordio ætatis lectitaſſe libros matri initianti: & puerum etiam, tum in cœtibus Liberi patris, & inter ebrioſos homines eſſe volutatum. Poſt autem ſcriptioni apud magiſtratus dediſſe operam, & propter binas, aut ternas drachmas fuiſſe ſceleratum. Poſtremò non ita olim alienis ſumptibus, ad tertias partes actitandas, cùm tecum bene agi putares, victitaſſe? Quam igitur vitam referes? quam non vixiſti.

Hæc ſunt, quæ apud Demoſthenem in inuectiuis plus habent vehementiæ: ſed quàm amarulenta hæc Ciceronis vehementia.

## CICERO.

*2. Philip. Vehementia Ciceronis, in inſectando cum indignatione coniuncta.*

Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti. Primò vulgare ſcortum, certa flagitij merces, nec ea parua, ſed citò Curio interuenit, qui te à meretricio quæſtu abduxit: & tanquam ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili, & certo collocauit. Nemo vnquam puer emptus libidinis cauſſa, tam fuit in domini poteſtate, quam tu in Curionis, &c. quæ Demoſthenis vehementiæ nullo modo cedunt: ſed (& vt perſonas decet) grauiora ſunt.

Quæ verò contra Philippum vehementiora dicuntur, ea ſunt.

## DEMOSTHENES.

*Faſtidioſiſſima Demoſth. oratio in Philippum.*

Οὐ μόνον οὐχ Ἕλληνος ὄντος, οὐδὲν προσήκοντος οὐδὲν τοῖς Ἕλλησιν, ἀλλ' οὐδὲ βαρβάρου ἐντεῦθεν, ὅθεν καλὸν εἰπεῖν, ἀλλ' ὀλέθρου Μακεδόνος ὅθεν οὐδὲ ἀνδράποδον σπουδαῖον

οὐδὲν ἦν πρότερον πρίασθαι καὶ τὸ τῆς ἐσχάτης ὕβρεως ἀπολείπει, &c.

Qui tantùm abeſt, vt Græcus ſit, Græciſve vllo modo coniunctus, vt nec inter barbaros ſit honeſto loco natus, ſed perditus Macedo, vnde frugi mancipiũ olim nullũ emi potuit.

At qua extrema contumelia abſtinet? Agit contra eos, qui Philippum, quaſi regem Athenienſibus coniunctum, & beneuolum ſtudebant defendere. Bene opinor comparabuntur, quæ habet Tullius de Luc. Antonio, qui ſe patronum populi Romani appellabat: Hæc enim æquè grauia, & mordacia.

### CICERO.

*Plenus & hoc generoſo faſtu Cicero, ſed pugnat alacrius & gratiã quãdam habet horrori mixtam.*

Atqui illum quinque & triginta Tribus patronum adoptarunt, rurſus reclamatis? Aſpicite à ſiniſtra illam equeſtrem ſtatuam inauratam; in qua, quid inſcriptum eſt? *Quinque, & triginta Tribus Patrono P. R.* Igitur eſt patronus L. Antonius? malam quidem illi peſtem, clamori enim veſtro, non modò hic latro, quẽ clientem habere nemo velit; &c. O impudentiam incredibilem, tantumne ſibi ſumpſit, quia Myraſis mirmillo Thracem iugulauit familiarem ſuum! Quonam modo iſtum ferre poſſemus, ſi in hoc foro, vobis ſpectantibus, depugnaſſet?

*Philip. 14. Heroicæ iracundiæ emiſſiones in Cicer.*

(Et propudium illud) & portentum L. Antonius, inſigne odium omnium hominum; vel etiam, ſi dij oderunt, quos oportet, omnium Deorum.

Et de Antonio, & Dolabella.

Nam duo hæc capita nata ſunt poſt homines natos, ſpurciſſima, & teterrima, Dolabella, & Antonius. Deinde. Ecce tibi geminum in ſcelere par, inuſitatum, inauditum, ferum, barbarum.

*Diſcrimen Demoſth. & Cicer. in inuect.*

Mitto infinita ſimilia, quæ ex Philippicis, & Orat. in Piſonem, in Clodium, in Vatinium, in Verrem afferri poſſunt, quæ ſi comparentur, inuenies duos ſummos Oratores in eo conuenire; quod Cicero æquè fellis, & conciſæ acrimoniæ, vbi modo vult habeat, ac Demoſthenes, imò ſuperet; vt in iſtis, quibus nihil excitatius aculeatum.

*Pro Cluentia.*

*Vxor generi nouerca filij, filia pellex.* Sed in eo Demoſthenem antecellit, quod vbi placet illi, aliquem comicè inſectari, ſumma ingenij feſtiuitate, gratia, hilaritate faciat: vt ex ijs quę in Piſonem allata, facile eſt colligere. Vbi verò in grauioribus factis, poſt res narratas, ad illas exclamationum faces venit, iam nõ comparet Demoſthenes, tunc planè Tullius videtur incendium omnia deuorans; æquè promptum eſſet, vibratis fulminibus obſiſtere, ac tanto eloquentiæ ponderi ſumma vi ruenti ſeſe obſiſtere.

### N. N.

a *Hanc ideò orationem cum aliquot alijs, Demoſthenis eſſe negat Dionyſius Halicarnaſſ. ſed cùm nullis certis argumentis probet, non vſquequaque illi credendum rectè animaduertit Photius in biblioth. p. 1407. Nam & alij, eodem, ac ille iure, orationes contra Aeſchinem, & Midiam reijciunt, ſtyli ſcilicet diuerſitate commoti, quibus tamen nulla habetur fides. Certè Demoſthenis eſſe, non obſcurè innuit idem Photius p. 1476. edit. Pauli Stephani.*

b *Hoc ſanè exordium valde Demoſthenicum eſt, cætera, ſi qua videbuntur imbecilliora fortunæ accommodata cenſet Photius: nam in eodem prælio, ad Cheroneam, vbi illi qui laudantur, occubuerunt, Demoſthenes abiecto clypeo fugiens, cum chlamydem rubus retinuiſſet, clamauit ζώγρει.*

c *Hunc laudandi morem, iis temporibus contemptum indicat Lucianus in Encomio Demoſthenis: μὴ μεῖζον προσηκέτω ἐπίγραμμα τῷ Φιλάκῳ. p. 891.*

d *Bellum, & hoſtium immanitas præclarè à Cicerone exaggeratur, quò mors virorum appareat glorioſior. Hoc Demoſthenes, quod erat maximè neceſſarium, prætermiſit.*

---

*Comparantur in genere deliberatiuo.*

## CAPVT LXIV.

AGe nunc expendamus, vter plus in ſuaſionibus, & diſſuaſionibus habet vehementiæ, & ponderis, pares inter ſe cauſſas conferemus. Suadet Demoſthenes bellum in Philippum Regem oppreſſorem Græcæ libertatis: M. Tullius in Antonium Conſulem, Romanæ reipublicæ vexatorem. Quibus vterque rationibus videamus. Obtendunt in genere turpitudinem, periculum, & rationem δύναμ. Locos turpitudinis capiunt ex circumſtantijs perſonarum. Turpiſſimum ſcilicet, & indigniſſimum, Athenienſes Philippo, Populum Romanum Antonio cedere. Vterque indignitatem perſonarum acriter exaggerat.

### DEMOSTHENES,

Maximè his verbis, quæ ſuperiùs ſunt allata ex Philipp. 3.

Ὄλεθρος Μακεδὼν ὅθεν, οὐδ᾽ ἀνδράποδον σπουδαῖον οὐδὲν ἦν πρότερον πρίασθαι. Καὶ τί τῆς ἐσχάτης ὕβρεως ἀπολείπει.

Non Græcus, inquit, eſt, ſed barbarus, ſed perditus Macedo, ea ex gente ortus, è qua, ne frugi quidem mancipium emi poteſt. Nunc tamen ad ſummum venit contumeliæ.

Deinde narrat vrbes, quas cepit; honores, quos Athenienſibus præripuit, &c. id genus Cicero in hac renihilo inferior, quoties de indignitate Antoniorum; qui rempublicam dilapidant, loquitur, vibrat, fulminat.

CICERO.

Eſt igitur populo Romano victori omnium gentium, omne certamen cum percuſſore, cum latrone, cum ſpartaco (& de eius crudelitate, iure pertimeſcenda) Nullus ei ludus videtur eſſe iucundior, quàm cruor, quàm cedes, quàm ante oculos trucidatio ciuium. Non eſt vobis res, Quirites, cum ſcelerato homine, atque nefario, ſed cum immani, tetraque bellua: quæ,
*Philipp.4.* quoniam in foueam incidit, obruatur: ſi enim hinc emiſerit, nullius ſupplicij crudelitas erit recuſanda.

Et de Lucio Antonio.

Ille autem ex mirmillone dux, ex gladiatore Imperator; quas fecit ſtrages, vbicunq; poſuit veſtigium? Cædit greges armentorum, reliquique pecoris, quodcumque nactus eſt,
*Philipp.3.* epulantur milites, ipſe autem ſe, vt fratrem imitetur, obruit vino: vaſtantur agri, diripiuntur villæ, matres familias, virgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus traduntur.

Et de Marco.

Brunduſij fortiſſimos viros, ciues optimos iugulari iuſſit, quorum ante pedes eius morientium ſanguine os vxores reſperſum eſſe conſtat, &c. ſimilia infinita, maximè verò Philippica 7. vbi ſingularia quæque Antonij contra remp. facta diſcutit, quæ Demoſthenes in totis Olynthiacis, & Philippicis, non adæquat.

Vterque poſteà, vt vlciſcendos, non autem formidandos hoſtes oſtendat, vehementer eorum potentiam extenuat. Et Demoſthenes qui-
*Olynth.2. n.8-9.* dem initio Olynthiacæ ſecundæ, vbi Philippum hominem, & tenuem & contemptum ſola Athenienſium ſocordia creuiſſe oſtendit, hunc illi fortunæ afflatum non fore diuturnum.

DEMOSTHENES.

Ἐγὼ μὲν γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, σφόδρα ἂν ἡγούμην, καὶ αὐτὸς φοβερὸν εἶναι τὸν Φίλιππον, καὶ θαυμαστὸν, εἰ τὰ δίκαια πράττοντα ἑώρων αὐτὸν ηὐξημένον, νῦν δὲ θεωρῶν, καὶ σκοπῶν εὑρίσκω τὴν μὲν ἡμετέραν εὐήθειαν τὸ κατ᾽ ἀρχάς, &c. Et Philip. 1 nu. 12. Μὴ γὰρ ὡς θεῷ νομίζετε ἐκείνῳ τὰ παρόντα πεπηγέναι πράγματα ἀθάνατα. ἀλλὰ καὶ μισεῖ τις ἐκεῖνον καὶ δέδιεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ φθονεῖ, καὶ τῶν πάνυ νῦν δοκούντων οἰκείως ἔχειν αὐτῷ.

Nolite enim putare illi, tanquam Deo fixas eſſe res præſentes, & immortales, ſed & odit eum aliquis, & timet, viri Athenienſes, & inuidet etiam ex ijs, qui nunc illi ſumma familiaritate implicati eſſe videntur.

Hæc quidem grauia, ſed nimis remiſſa: quãtò efficacius Cicero!

CICERO.

Ac maioribus quidem veſtris, Quirites, cum eo hoſte res erat, qui haberet rempub. curiam, ærarium, conſenſum, & concordiam ciuium, rationem aliquam, ſi res ita tuliſſet, pacis, & fœderis. Hic veſter hoſtis rempublicam veſtram oppugnat, ipſe habet nullam: Senatum, hoc eſt, orbis terræ conſilium publicum nullum habet: Aerarium veſtrum exhauſit, ſuum non habet. Pacis verò, quæ poteſt cum eo eſſe ratio, in quo incredibilis crudelitas, fides nulla.

Deinde, Nam quod ſe ſimilem Catilinæ eſſe, gloriari ſolet, ſcelere par eſt illi, belli induſtria inferior. Hæc de perſona hoſtium, in quibus ſemper apparebit Tullius grauior in ἀξίᾳ, & magis aculeatus.

Vterque cùm videret animos ad bellum anteà paratos, paulatim hebeſcere, atque infringi paribus fermè rationibus ſollicitat, & priſtinorum conſiliorum memoria incendit, à quibus recedere ſine dedecore reſpub. non poteſt. Tractat hunc locum Demoſthenes Olynthiac. 3. num. 6. 7. 8. 9. vbi refricat memoriam eorum omnium, quæ iam in Philippum decreta erant, quæ ſine dedecore inconſtantiæ à grauiſſimo conſilio negligi non poſſunt.

DE-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## DEMOSTHENES.

Μεμνῆσθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅτ' ἀπηγγέλθη Φίλιππος ὑμῖν ἐν Θρᾴκῃ τρίτον ἢ τέταρτον ἔτος τουτὶ Ἡραῖον τεῖχος πολιορκῶν· τότε τοίνυν μὴν μὲν ἦν μαιμακτηριὼν· πολλῶν δὲ λόγων καὶ θορύβων γιγνομένων παρ' ὑμῖν, ἐψηφίσασθε τετταράκοντα τριήρεις καθέλκειν, &c. quæ commemorat, belli apparatus in Philippum enumerans. Deinde concludit num. 12.

Τί οὖν ὑπόλοιπον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πλὴν βοηθεῖν ἐρρωμένως καὶ προθύμως; ἐγὼ μὲν οὐχ ὁρῶ· χωρὶς γὰρ περιστάσης ἂν ἡμᾶς αἰσχύνης, εἰ καθυφείμεθά τι τῶν πραγμάτων, οὐδὲ τὸν φόβον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μικρὸν ὁρῶ.

Quid reſtat igitur, viri Athenienſes, niſi vt ſuccurramus robuſtè, & alacriter. Egò certè non video: nam præterquam vobis, ſi à rebus gerendis ſemel deſtiteritis, dedecus impendet infamiæ, metus etiam, viri Athenienſes, non mediocres animaduerto.

Qui Ciceronem legerit, Philippica ſeptima, ſtatim poſt initium, vbi plene bellum ſuadet, inueniet rationibus æquè denſum, & pugnacem, ſed plus habere caloris, & aculeorum.

## CICERO.

*Ciceronis oratio vehemens & densa.*

Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt. Hæc λακωνικῶς, mox ſingula perſequitur.

Quid eſt inconſtantia, mobilitate, lenitate, cùm ſingulis hominibus, tum verò vniuerſo ſenatui turpius, quid porrò incōſtantius? quàm, quem modò hoſtem, non verbo, ſed re multis decretis iudicaritis, cum hoc pace velle ſubitò coniungi.

Deinde punctim decreta Senatus, de Cæſare, de Bruto, de Hirtio ſubiungit, in quibus tot vibrantur validæ rationes, & addit.

Quid cum delectus haberi tota Italia iuſſiſtis, cùm vocationes omnes ſuſtuliſtis: tum ille hoſtis non eſt iudicatus. Armatorum officinas in vrbe videtis: milites cum gladijs ſequūtur Conſulem: omnes ſine vlla recuſatione, ſummo etiam ſtudio nomina dant: parent auctoritati veſtræ: non eſt iudicatus hoſtis Antonius: At legatos miſimus? heu me miſerum! quid. (& cæt.)

Deinde grauiſſimè confutat, mox concludit longè vehementiùs, quàm Demoſthenes.

Retinenda igitur nobis conſtantia, grauitas, perſeuerantia, repetenda eſt vetus illa ſeueritas: ſiquidem auctoritas Senatus, decus, honeſtatem, laudem, dignitatemque deſiderat, quibus rebus caruit hic Ordo nimium diu. Sed erat tunc excuſatio oppreſſis, miſera illa quidem, ſed tamen iuſta, nunc nulla eſt. (Et illud,) Quod ſi non poſſumus facere, dicam, quod dignum eſt Senatore, & Romano moriamur.

*Olynth. 3. num. 22.*

Duo ſunt ex vehementiſſimis ad incitandum locis, Olynthiaca tertia, & Philippica prima, vbi Demoſthenes canit quodammodo claſſicum.

*Qualis vterque in adhortationibus.*

## DEMOSTHENES.

*Demosth. adhortatio ad bellum vehemens.*

Τίνα γὰρ χρόνον ἢ τίνα καιρὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε, ἢ πότε, ἃ δεῖ, πράξετε, εἰ μὴ νῦν; οὐχ ἅπαντα μὲν ἡμῶν τὰ χωρία προείληφεν ἄνθρωπος; εἰ δὲ καὶ ταύτης κύριος χώρας γενήσεται, πάντων αἴσχιστα πεισόμεθα, οὐχ, οὓς, εἰ πολεμήσαιεν, ἑτοίμως σώζειν ὑπισχνόμεθα, οὗτοι νῦν πολεμοῦνται; οὐκ ἐχθρός, οὐκ ἔχων τὰ ἡμέτερα; οὐ βάρβαρος; οὐχ ὅτι ἂν εἴποι τις. ἀλλὰ πρὸς θεῶν ἅπαντα ταῦτα ἐάσαντες, καὶ μονονουχὶ συγκατασκευάσαντες αὐτῷ, τότε τοὺς αἰτίους οἵτινές εἰσι τούτων ζητήσομεν.

εἴποι τις

Quod enim tempus, quamue occaſionem, Athenienſes, meliorem hac quæreretis? aut quando ea, quæ fieri debent, ageris? Nonne omnia vobis homo loca præripuit? Quid etſi hac terra potietur, rem flagitioſiſſimam patiemur? Nonne quibus ſi bellum gererent, ſtrenuè nos opitulaturos pollicebamur: hic nunc bello petuntur? nonne hoſtis eſt? non veſtra tenet? non barbarus? non quod quiſque mali dixerit? Sed per Deum immortalem, ſi hæc omnia reliquerimus, & ei tantùm, non ad ea obtinenda, operam nauauerimus; tum auctores harum rerum, qui ſint, quæremus.

Philippica verò prima, numer. 59. Οὐκ ἐκβησόμεθα, οὐκ ἐξιμεν αὐτοὶ μέρει γέ τινι στρατιωτῶν οἰκείων νῦν, εἰ καὶ μὴ πρότερον, οὐκ ἐπὶ τὴν ἐκείνου πλευσόμεθα, ποῖ δὴ προσορμιούμεθα, ἤρετό τις. εὑρήσει τὰ σαθρά, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν ἐκείνου πραγμάτων, αὐτὸς ὁ πόλεμος ἂν ἐπιχει-

ϛῶμεν· ἂν μὲν τοι καθώμεθα οἴκοι, λοιδορουμένων ἀκούοντες, καὶ αἰτιωμένων ἀλλήλους τῶν λεγόντων οὐδὲ πώποτ' οὐδὲν ἡμῖν οὐ μὴ γένηται τῶν δεόντων· ὅποι γὰρ ἂν οἶμαι μέρος τι τῆς πόλεως συναποσταλῇ κἂν μὴ πᾶσα πάρῃ, καὶ τὸ τῶν θεῶν εὐμενὲς, καὶ τὸ τῆς τύχης συναγωνίζεται, &c.

*Demoſt. claſſicum canit.*

εὐ

Non egrediemur, non exibimus ipſi, parte ſaltem aliqua domeſticorum militum, nunc; ſi quidem id prius factum non eſt, non ditionem eius claſſe inuademus! At quo appellemus? roget aliquis; inueniet ac deprehendet labefactatas res illius, Athenienſes, ipſum bellũ modo aggrediamur. Verũ, ſi domi ſedebimus, conuiciantes audituri, & criminantes inter ſe oratores, non fieri vlla ratione poteſt, vt quicquam ritè conficiamus. Nam, vt mea quidem fert opinio, quacunque pars aliqua ciuitatis ablegabitur, etſi tota minimè adfuerit, Deorũ tamẽ fauor, & fortuna nobiſcum pugnat. &c. Tum quod de libertate obiter tangit Philippica 3.

## CICERO.

*Cicer. adhortatio nihilo grauior Philipp. 7. Philipp 10.*

(Cum his comparari poſſunt. quæ habet Cicero Philipp. 7.

Si pace frui volumus, bellum gerendũ eſt; ſi bellum omittemus, pace nunquam fruemur. Et quodnam principium pietatis, libertatis capeſſendæ? An cum illum neceſſarium, & fatalem penè caſum, non tulerimus, hunc feremus volũtarium: Tota Italia deſiderio libertatis exarſit: ſeruire diutius non poteſt ciuitas: ſerius populo Romano hunc veſtitum, atque arma dedimus, quã ab eo flagitati ſumus. Magna quidẽ nos ſpe, & prope explorata, libertatis cauſſam ſuſcepimus. Et non in ſpiritu vita eſt: ſed ea nulla eſt omninò ſeruienti. Omnes enim nationes ſeruitutem ferre poſſunt; noſtra ciuitas non poteſt: ſi immortalitas conſequeretur præſentis periculi fugam, tamen eò magis ea fugienda eſſe videretur; quod diuturnior eſſet ſeruitus. Cum verò dies, & noctes, omnia nos deniq; fata circumſtent, non eſt viri, minimeque Romani, dubitare, cum ſpiritum, quem naturæ quis debeat, patriæ reddere. Concurritur vndique ad commune incendium. (&c.)

*Cicero vocat ad incendium reſtinguendum.* Diceres omnia iam ardere.

(Et quod Demoſthenes de fauore Deorum ſubiunxit, hic plenius.

Sine prodigijs, atque portentis, Dij immortales nobis futura prædicunt: ita ſunt apertè denuntiata, vt, & illis pœna, & libertas nobis appinquet.

Incumbite, Quirites, in eam cauſſam, vt facitis: nunquam inter Senatum, & vos, maior in vlla cauſſa fuit: nunquam tam vehementer cum Senatu conſociati fuiſtis: nec mirum; agitur enim, non qua conditione victuri; ſed victurine ſimus, an cum ſupplicio, ignominiaque morituri. Et, Non eſt vobis res, Quirites, cum ſcelerato homine, atque nefario, ſed cum immani, tetraque bellua: quæ quoniam in foueam incidit, obruatur.

Et quænam eſt vehementia, niſi iſta eſt? quę faces: quod incendium? Demoſthenis quidem fulgura (quando Caſſio Longino ita libuit cõparare) volant, & euaneſcunt: at Latini Oratoris ignes ardent, & creſcunt in immenſum.

*c* Vterque deinde in exponendis præſidijs, ad bellum gerendum neceſſarijs, iuxta rerum, & temporum ſtatum valdè prudens eſt; quanquam Cicero plus habet magnificentiæ, & alacritatis: vt (Concurritur vndiq; ad commune incendium reſtinguendum.) Veterani quidem primi, Cæſaris auctoritatem ſequuti, conatum Antonij repulerunt: poſt eiuſdem furorem Martia legio fregit: Quarta afflixit: & cætera.

*Qualis vterque in obiurgationibus Demoſth. nimis auſterus, & dicax in ſuos. Demoſth. Philip. 1. n. 15.*

In obiurgationibus verò, & reprehenſionibus, longè diſſimiles ſunt. Demoſthenes enim vt auſterioris ingenij, cuius gratia, vulgò Argas (feri ſerpentis nomen eſt) dicebatur: vbique fermè adhibet cauterium, promiſcuè omnes amarulenta quadam dicacitate, & ſarcaſmis ſugillans, vt Philippica 1.

*Grauis oratio Demoſthenis. In increpationibus, quaſi in ſuo elemento dominatur.*

## DEMOSTHENES.

Ἢ βούλεσθε εἰπέ μοι περιϊόντες αὐτῶν πυνθάνεσθαι, κατὰ τὴν ἀγοράν, λέγεταί τι καινόν; γένοιτο γὰρ καινότερον ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ Ἀθηναίους καταπολεμῶν, καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων διοικῶν. τέθνηκεν Φίλιππος· οὐ μὰ Δί' ἀλλ' ἀσθενεῖ. τί δ' ὑμῖν διαφέρει, καὶ γὰρ ἂν οὗτός τι πάθῃ, ταχέως ὑμεῖς ἕτερον Φίλιππον ποιήσετε.

## DEMOSTHENES.

Num vultis circumeuntes, alius alium in foro percontari: age, dic mihi, nunquid affertur noui? ecquid magis nouum, quàm vir Macedo ſubigens Athenienſes, & Græciæ imperans: Deinde alius dixit, mortuus eſt Philippus. Alius: haud quidem, ſed per Iouem ægrotat. Quid ad vos? ſi quid illi humanitus acciderit, vos alium ſtatim Philippum veſtra ſocordia facietis.

Ita

Ita increpat deſides, & curioſos Athenienſes, grauiter quidem, & magnificè: itaque mihi videtur in iſtis, quaſi in elemento ſuo, dominari. Et eadem Philippica num. 54. Ὥσπερ οἱ βάρβαροι πυκτεύουσιν, οὕτω πολεμεῖτε Φιλίππῳ, καὶ γὰρ ἐκείνων ὁ πληγεὶς, ἀεὶ τῆς πληγῆς ἔχεται, καὶ ἑτέρωσε πατάξῃ τις ἐκεῖσε εἰσὶν αἱ χεῖρες. προβάλλεσθαι δ' ἢ βλέπειν ἐναντίον οὔτε εἶδεν οὔτ' ἐθέλει. Vt barbari pugiles dimicare ſolent, ita vos bellum geritis cum Philippo. Ex ijs enim is qui ictus eſt, ictui ſemper inhæret, quod ſi eũ alibi verberes, illò manus trãsferet: ictum autem depellere, & contra intueri, neque vult, neque ſcit.

Et Philip. 3. num. 3. apertè innuit, talem eſſe rerum ſtatum, vt ſi quiſque pro virili conaretur omnia diſperdere, nihil omninò peius fieri poſſet.

Ὥστε δέδοικα μὴ βλάσφημον μὲν εἰπεῖν ἀληθὲς δ' ᾖ. εἰ καὶ λέγειν ἅπαντες ἐβούλοντο οἱ παριόντες, καὶ χειροτονεῖν ὑμεῖς ἐξ ὧν φαυλότατα ἔμελλε τὰ πράγματ' ἕξειν οὐκ ἂν ἡγοῦμαι δύνασθαι χεῖρον ἢ νῦν διατεθῆναι.

Hæc ad Demoſthenis planè ingenium dicta, grauia illa quidem, ſed quę non ſemper ita proſunt: pauca enim ingenia ſic tractari volunt, niſi ſint ſeruilia. Cicero aliam viam ingreditur) ſi enim perſonas honore, & reuerentia dignas obiurgando alloquatur, dici non poteſt, quàm honeſte, & conſiderate faciat, vbi præſertim emendare vult, & corrigere, non frangere. Admirabilis mihi videtur inter cæteras illa reprehenſio, qua M. Antonium, & Dolabellam nondum deſperatos obiurgat. Poſtquàm enim Antonij præclara facta, diſerta, & illuſtri oratione commemorauit, ſic increpationem aggreditur.

## CICERO.

*Cic. Phil. Increpatio mitis & honeſta.*

Vnde igitur ſubitò tanta mutatio? non poſſum adduci, vt ſuſpicer te pecunia captum (tãgit rem acu, & cauſſam morbi indicat, ſed quàm prudenter, licet quod cuique libet loquatur credere non eſt neceſſe) nihil enim vnquam in te ſordidum, nihil humile cognoui, quanquam ſolent domeſtici deprauare nonnunquam, ſed noui firmitatem tuam: Atque vtinam culpam, ſic etiam ſuſpicionem vitare potuiſſes, & cætera, quæ fuse proſequitur. Quid hac oratione grauius, mitius, prudentius? (Ad Dolabellam verò) ſed per Deos immortales, te enim intuens, Dolabella, qui es mihi chariſſimus, non poſſum de vtriuſque veſtrum errore reticere. Credo enim vos homines nobiles magna quædam ſpectantes, nõ pecuniam, vt quidam nimis creduli ſuſpicantur, quæ ſemper ab ampliſſimo quoque, clariſſimoque contempta, non opes violentas, & P. Romano minimè ferendam potentiam: ſed charitatem ciuium, & gloriam concupiſſe. Dicerem, Dolabella, qui rectè factorum fructus eſſet, niſi te præter cæteros pauliſper expertũ viderem. (&c. ô Suadam.)

At verò vbi vult, ſeuerè aculeos reprehenſionis diſtringit, vt in Q. Fuſium Calenum, qui bellum aduerſus Antonium diſſuadebat: Philipp. 8. & 10. Animaduerte, vt pugnat, vt densẽ glomerat argumenta, vt hominem calefacit.

*Increpatio grauis & pœna libertatis.*

Quæ cauſſa iuſtior belli gerendi, quàm ſeruitutis depulſio? niſi fortè hoc ad te non putas pertinere, quod te ſocium fore ſperas dominationis Antonij. In quo bis laberis: primùm, quòd tuas rationes communibus anteponis: deinde, quod quidquam ſtabile, aut iucundum in regno putas. Non ſi tibi anteà profuit, ſemper proderit. Quinetiam memini, de illo homine quæri ſolebas (Cæſarem [illegible] git) quid te facturum de bellua putas? Atqui ais, eũ te eſſe, qui ſemper pacem optaris: ſemper omnes ciues volueris ſaluos: honeſta ratio; ſed ita ſi bonos, & vtiles reip. ciues; ſin eos, qui natura ciues ſunt, voluntate hoſtes, ſaluos velis: qui tandem intereſt inter te, & illos? Et ampliſſimæ tibi fortunæ ſunt, ſummus honoris gradus; filius, vt audio, & ſpero, natus ad laudem: cui Reip. cauſſa faueo, tum etiam tua. Quæro igitur cum Brutine ſimilem malis, an Antonij? ac permitto, vt de tribus Antonijs eligas, quẽ velis. Dij meliora! inquis: cur igitur non ijs faues, quos laudas, quorum ſimilem filium tuum eſſe vis.

*Demoſth. Philip. 3. n. 56.*

Hæc habent ſuum abſynthium: nec vehementiora ſunt, quæ dicuntur à Demoſthene Philippica 3. contra eos, qui bellum aduerſus Philippum retardabant, cùm eoſdem nominat ἀνθρώπους μισθωτοὺς ὧν οὐδ' ἀρνηθεῖεν ἔνιοι, ὡς οὐκ εἰσὶ τοιοῦτοι λέγειν κελεύετε, καὶ γελᾶτε ἄν τισι λοιδορηθῶσι, καὶ οὐχὶ τοῦ τόπου δεινόν, καὶ περ ὂν δεινόν, &c. quæ ne ſtilla quidem aquæ dulcis leniuntur.

N. N.

a *Nullæ Ciceronis orationes meliùs cum De-*

*moſthenicū comparantur, quàm Philippicæ, quibus à ſimilitudine Demoſthenis, nomen eſt inditum.*

b *Vterque bellum ſuadet ab indignitate perſonæ, à qua nefas tantam, & tanti populi violari maieſtatem.*

c *Vterq; hoſtem vlciſcendum, non formidandū, grauiter oſtendit; ſed alacriùs Cicero.*

d *Vterq; in ſimili cauſa bellum ſuadet, & paribus rationibus: at Cicero magis eſt incenſus.*

e *Vterq; in exponendis ad bellum gerendum præſidiis valdè prudens: ſed Cicero magnificentior, & alacrior.*

---

*Comparantur in genere iudiciali.*

## CAPVT LXV.

IN forenſibus cauſſis magnum vterque tenuit imperium, magnum triumphantis eloquentiæ reliquit monumentum. Eſt in ijs Demoſthenes callidus, acer, vehemens. Cicero plus interdum habet redundantiæ, & excurſionis: in omnibus alioqui ſublimis, & magnificus, atque vbi pugnandum eſt, plenus ſpiritus, & alacritatis.

In accuſando vterque velox, pugnax, animoſus, ſed in cauſſis grauioribus eminet Ciceronis ardor, quod facilè comperiet, qui nonnulla ex Verrinis cum oratione Demoſthenis contra præuaricationem Legatorum, pari fermè argumento, comparare voluerit.

*Contumelia in duas puellas à Demoſthene & Cicerone pari ferme ſtylo deſcripta: Orat. de falſa legat. nu. 354.*

Quale eſt illud de contumelia in duas puellas, cum vtriuſque ſollicitatur pudicitia, illius ab Aeſchine, huius à libidinum Verris prægustatore, idque in conuiuio.

### DEMOSTHENES.

Ἐπειδὴ δὴ ἧκον εἰς τὸ πίνειν εἰσάγει τινὰ Ὀλυνθίαν γυναῖκα, εὐπρεπῆ μὲν ἐλευθέραν δὲ καὶ σώφρονα ὡς τὸ τέλος ἐδήλωσε ταύτην, τὸ μὲν πρῶτον οὑτωσὶ πίνειν ἡσυχῆ καὶ τρώγειν ἠνάγκαζον οὗτοι. ὡς δὲ προήει τὸ πρᾶγμα, καὶ διεθερμαίνετο, κατακλίνεσθαι καί τι, καὶ ᾄδειν ἐκέλευον ἀδημονούσης δὲ τῆς ἀνθρώπου, καὶ οὔτε ἐθελούσης οὔτ᾽ ἐπισταμένης, ὕβριν τὸ πρᾶγμα ἔφασαν οὗτοσι, καὶ ὀφρύων. καὶ οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι τῶν θεοῖς ἐχθρῶν τε καὶ ἀλιτηρίων Ὀλυνθίων αἰχμάλωτον οὖσαν τρυφᾶν. καὶ κάλει παῖδα καὶ ἱμάντα τις φερέτω ἧκεν οἰκέτης ἔχων ῥυτῆρα, καὶ πεπωκότων οἶμαι, καὶ μικρῶν ὄντων τῶν παροξυνόντων, εἰπούσης τι καὶ δακρυσάσης ἐκείνης περιρρήξας τὸ χιτωνίσκον ὁ οἰκέτης ξαίνει κατὰ τοῦ νώτου πολλάς. ἔξω δὲ αὑτῆς οὖσα ὑπὸ τοῦ κακοῦ, καὶ τοῦ πράγματος ἡ γυνὴ ἀναπηδήσασα προσπίπτει πρὸς τὰ γόνατα τῷ Ἰατροκλεῖ, καὶ τὴν τράπεζαν ἀνατρέπει, καὶ εἰ μὴ ἐκεῖνος ἀφείλετο ἀπώλετ᾽ ἂν παροινουμένη. Καὶ γὰρ ἡ παροινία τοῦ καθάρματος τουτουῒ δεινή. Deinde exclamat: Καὶ τοιαῦτα συνειδὼς ὁ ἀκάθαρτος οὑτοσὶ τολμήσει βλέπειν εἰς ὑμᾶς. Diſerta quidem iſta criminis expoſitio.

Vt autem ad procula ventum eſt, introducit is mulierem quandam Olynthiam, formoſam quidem illam, ſed ingenuam, & modeſtā; vt exitus declarauit. Eam primùm bibere paulatim cogebant. Vt autem res ſatis calere viſa eſt, aſſidere, atque etiam canere iuſſerunt æſtuante muliere, vt quæ neque vellet, neque ſciret, contumeliam id factum, minimè ferendam dicunt, vt captiua à Dijs inimicis, & nefarijs Olynthijs, delicias faceret. Age voca ſeruum, inquit, & lorum aliquis afferat. Præſto eſt ſeruus ſcuticam geſtans, ipſis verò benè potis, & iracundis iubentibus, mulieri ne quicquam lachrymanti direptâ, & laceratâ tunicâ crebras tergo plagas ingerit. Tum ſui impos præ dolore, & timore mulier ſubſiliens ad Iatroclis pedes prouoluitur, menſamq; ſubuertit. Quod niſi is eam eripuiſſet, interfecta eſſet in illa ebrietatis inſania, ita temulentia iſtius impuri crudelis eſt (ſequitur deinde exclamatio) & cum talium ſibi criminum conſcius ſit ſceleſtus ille nos aſpicere audebit.

### CICERO.

Caractere ſimilia ſunt, quæ narrantur 3. Verr. num. 63. de filia Philodami.

Mature veniunt, diſcumbitur, fit ſermo inter eos, & inuitatio, vt Græco more biberetur, hoſpes hortatur, poſcunt maioribus poculis, celebratur omnium ſermone, lætitiaque conuiuium. Poſtquam ſatis res Rubrio calere viſa eſt. Quæſo, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro uocari iubes, homo, & qui ſumma grauitate, & iam id ætatis, & parens eſſet, obſtupuit hominis improbi dicto. Inſtare Rubrius: tum ille, vt aliquid reſponderet, negauit moris Græcorum, vt conuiuio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius,

ſius,ex alia parte: Enimuerò ferendum nō eſt, vocetur mulie ,&c. quæ in narratione fuſius proſequuti ſumus. Vbi quæ ſequuntur de ſupplicio,etiam Philodami, vt magnitudine rei, ſic etiam orationis amplitudine , apud Ciceronem admirabilia ſunt. Inuenitur certè,etiam in iſtis expoſitionibus Demoſthene γραφικώτερος. At iam in exagitatione criminum quantus eſt! quàm ſublimis! Confer nunc exclamationem Demoſthenis καὶ [illegible] ὡς ὁ ἀναιδὴς [illegible] οὑτοσί, &c. cum iſtis. Tātæ erāt tuæ, Verres,libidines erāt, vt eas capere,ac ſuſtinere non prouinciæ P. R. non nationes exteræ poſſent? Tune quod videris,quod audieris, quod cōcupieris,quod cogitaris,niſi id ad nutum,tum præſto fuerit,niſi libidini tuæ, cupiditatique paruerit, immittentur homines,expugnabuntur domus? Ciuitates non modò pacatæ,verumetiam ſociorum , atque amicorum ad vim , atque ad arma confugient, vt ab ſe,atque à liberis ſuis legati P. R. ſcelus, atque libidinem propulſare poſſint. Et tamen vtrique erat idem campus in legatum libidinoſum,& in libidine crudelem,& in conuiuio cruentum.

*De falſa legatione nu. 359.*

Iam Midiana oratio , quæ extat de alapa ſatis fusè ſcripta,& in qua,præter morem,modumue calere videtur Demoſthenes;qualis demum cenſebitur,licet inter iudiciales Demoſthenis nobiliſſima , ſi cum Verrinarum particulis comparetur. Intendit homini locupleti, & apud ſuos inprimis copioſo litem , quòd ab eo in Orcheſtra pugnis affectus fuiſſet , & ideo vult,non vna morte , ſed pluribus condemnari. Hominis quidem faſtum , mollitiem , petulantiam & cætera huiuſmodi ſatis acriter exprimit,atque inſectatur, vt his verbis: πάντας γὰρ ὑμᾶς εἰδέναι νομίζω τὸν τρόπον τούτου καὶ τὴν ἀσέλγειαν, καὶ τὴν ὑπερηφανίαν τὴν τοῦ βίου, καὶ τὴν ἀφορμὴν ἥπερ ἰσχυρὸν, καὶ φοβερὸν ποιεῖ τὸν καταπτυστὸν τουτονί. τὸ γὰρ ἐπ᾽ ἐξουσίας, καὶ πλούτου,πονηρὸν εἶναι, καὶ ὑβριστὴν τεῖχός ἐστι πρὸς τὸ μηδὲν ἂν αὐτὸν ἐξ ἐπιδρομῆς παθεῖν.

*Demoſth. in Midiam nu. 252.*

Hominem ita deſcribit ſuperbum, nefarium,impium,omnium contemptorem, & diuitijs,quaſi propugnaculis ſcelerum fretum. Hec, aut certè ea,quæ contra Androtionem ſcripta eſt oratio,ſi cum Verrinarum,inquam,particulis,in quibus ipſe Verres, vt improbus, & contemptor , & diues deſcribitur, conferantur , ſanè inuenientur μικρὰ ἴσπανα. Quid de tot improbitatis deſcriptionibus accuratiſſimis dicam quæ ſparſæ ſunt in Cluentiana 59. pro Sylla 70. 71. 76. pro Sextio 16. 17 in Vatinium 15. 19. 20. quæ ſi comparentur, oſtendent,quantum tum in exaggerandis criminibus. Tullius ſit potentior. Illud vnum,quàm rotundè,quàm celsè,quàm ingenioſè collegit.

*Nulla Demoſth. accuſatio cū Verrinis cōparanda.*

Non enim furem,ſed ereptorem: non adulterum,ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum , ſed hoſtem ſacrorum , religionumque ſacrarum: non ſicarium , ſed crudeliſſimum carnificem ciuium, ſociorumque in veſtrum iudicium adduximus , vt ego hunc vnum eiuſmodi reum,poſt hominum memoriam , fuiſſe arbitrer, cui damnari expediret. Vbi collectio criminum Midiæ,cui fermè eadem maximè impietatis , ſacrilegij, crudelitatis facinora obijciuntur , habet hoc artificium? Quid ſi Neæra flagitioſiſſima mulier, maximè verò , vbi Demoſthenes eam vehementius accuſat, num. 11. comparetur cùm Ciceronis Saſſia,cuius extat accuſatio pro Cluentio, vterque verſatur in pari argumento,in inſectanda ſcilicet famoſa libidine,& flagitijs, quantum ſuperet latinus orator , Græci ipſi iudicent,qui Neæram continuò dicent,nō à Demoſthene, ſed aliqua Demoſthenis ſimia fuiſſe conſcriptam.

*Cic. Ver. 3.*

*Longe grauius Cicero Saſſiā, quā Neæram Demoſth. inſectatur.*

Iam quærimonias,& conqueſtiones longè grauius,vt ad commiſerationis affectus , non factus,ſed natus tractat Cicero . Quanquam alapam ſibi inflictam valdè conqueritur , & lamentatur Demoſthenes contra Midiam. Καὶ τότε μὲν τοῖς Διονυσίοις τὴν παρασκευήν, καὶ τὸ σῶμα, καὶ τὰ ἀναλώματ᾽ ὑβρίζειν. νῦν δὲ τούτοις οἷς ἐποίει ἐκεῖνά τε καὶ τὰ λοιπὰ πάντα τὴν πόλιν, τὸ γένος, τὴν ἐπιτιμίαν, τὰς ἐλπίδας, εἰ γὰρ ἓν ὧν ἐπεβούλευσε κατώρθωσεν ἁπάντων ἂν ἀπεστερήμην ἐγὼ , καὶ μηδὲ ταφῆναι προσυπῆρχεν οἴκοι μοι. Ac tum quidem Bacchanalibus ornatum , & corpus, ſumptuſque meos læſiſſe: nunc verò his quæ moliebatur , & ſtruebat , tum illa, tum cætera omnia,tum vrbem,tum familiam, tum ius honorum , tum fortunas , tum ſpes. Nam ſi vnæ eius inſidiæ ſucceſſum habuiſſent,omnibus his fuiſſem ſpoliatus ego,nec domi ſepeliri mihi licuiſſet. Et omnes illi fluctus ad vnam alapam concitati? Quanto grauius Cicero pro Domo, pro Milone , pro Flacco,

*Demoſt. in cōqueſtionibus,& miſerationib⁹ multis partibus à Cicerone obruitur Demoſth. in Midiam.*

pro

pro Sextio,& ſuas, & amicorum iniurias conqueritur. Vel illud vnum 4. in Catilinam, quàm dulci maieſtate dictum: Mihi quidem, ſi hæc conſulatus conditio data eſt, vt omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatuſque perferrem; feram non ſolum fortiter, ſed etiam libenter, dummodò meis laboribus vobis, populoque Romano dignitas, ſaluſque pariatur.

*Qualis v-terq; in pe-titionibus, & honorũ contentio-nibus.*

In defenſionibus, petitionibus, honorum contentionibus, & cæteris ſimilibus, eſt vterque inſtans ſibi, & vehemens, in illis tamen orationibus, quæ extra reatuns, ſordes excurrere paulo liberius permittunt, longè iucundior eſt M. Tullius, vt qui grauem, & amœnam data occaſione liberalium artium ſpargit eruditionem, qua auditores mirificè exhilarat (& quod aiunt(marinam auditionem fluuiali abluit ſermone, ἁλμυροὺς λόγους γλυκέσιν ἀποκλύζει νάμασιν. Comparetur Leptines Demoſthenis, in quo pro honoribus, & immunitatibus filij Chabriæ Imperatoris diſceptat, cum ea parte Philipp. V. quæ eſt de imperio, & honoribus iunioris Cæſaris. Quàm ardenter illic Cicero pugnat, quàm grauiter, quanto rationum, & ſententiarum pondere! Comparetur illa σύγκρισις Demoſthenis, & AEſchinis, quæ ſcripta inuenitur in oratione pro Corona. 437. nobiliſſimum ferme omnium Demoſthenis opus, cum comparationibus Murenæ, & Seruij, Imperatoris, & Iuriſconſulti: Conſulatus Ciceronis, & Piſonis: Cæcilij denique & Ciceronis in diuinatione, inuenietur M. Tullius, ſi non ita auſterus, ac Demoſthenes, neruoſus tamen, ſubtilis, acer, etiam cum eſt laxus, & copioſus, ingenij verò gratia, feſtiuitate, facilitate inimitabilis.

*Comparentur in partibus orationis.*

Quod ad orationis partes attinet, exordia vtrique maximè in maioribus cauſſis grauia ſunt, & magnifica, neſcio tamen, quo pacto Ciceronis initia, ex morum, opinor, amabilitate liquidius influunt in animos, menteſque, & pectora firmius ſibi deuinciunt. Contra Demoſthenis perſæpe ſunt auſtera, rigida, quærula, obiurgatoria, quibus auerſionem potius animorum, quam propenſionem ingenerare ſuis auditoribus poſſit.

Narrationes habet vterque valdè puras, ſubtiles, pellucidas, quod ex ea Demoſthenis, quæ à me ſuperius citata eſt, licet agnoſcere. At verò Cicero præter limatam perſpicuitatem, elegantiam, dexteritatem, etiam aliquos imprimit aculeos, quibus ſine vllo epiphonemate, aut exaggeratione poſſit motus elicere. Eſt enim admirabilis imaginum artifex, in quibus magnam eloquentiæ partem ſitam, atque collocatam arbitror. Atque vt erat ipſe φαντασιώδους & διοργώσης φύσεως ita res concipit vt ſunt, ita exprimit, vt concepit, ita incendit, vt ipſemet eſt incenſus, & flagrans, maximè verò vbi res crudeles, & funeſtas exaggerat, intimos ſenſus tam vehementer percellit, vt ipſi, qui legunt, aut audiunt, non audire, & legere, ſed planè intereſſe cauſſæ videantur. Talia ſunt iſta Philipp. 11. de morte Trebonij, quem diu excruciatum Dolabella necauerat. Ponite igitur ante oculos, P. C. miſeram quidem illam, & flebilem ſpeciem, ſed ad incitandos animos veſtros neceſſariam, nocturnum impetum in vrbem Aſiæ clariſſimam, irruptionem armatorum in Trebonij domum, cum ille miſer prius latronum gladios videret, quam quæ res eſſet, audiſſet furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram, atque os illud infame, vincla, verbera, eculeum, carnificem, tortoremque ſamarium, quæ tuliſſe illum fortiter, & patiẽter ferunt.

*Cicero in ſuis narrationibus admirabilis eſt imaginum artifex.*

Quæ verò de ſupplicio P. Gauij Coſſani in crucem, acti leguntur vltima Verrina, quàm potentis, quàm admirabilis ſunt eloquentiæ. Cædebatur virgis medio foro Meſſanæ Ciuis Romanus, Iudices, cùm intereà nullus gemitus, nulla vox iſtius miſeri inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, niſi hæc *Ciuis Romanus ſum.* Deinde crux, crux inquam, infelici, & ærumnoſo comparabatur. O nomen dulce libertatis, ô ius eximium noſtræ ciuitatis, ô lex Porcia legeſque Semproniæ, ô grauiter deſiderata, & aliquãdo reddita plebi Romanæ tribunicia poteſtas! Huccine tandem omnia reciderunt, &c. quorum nec vmbram quidem, aut veſtigium habet Demoſthenes, ita viri ingenium erat à miſerationibus alienum.

*Cicero in confirmationibus plus habet excurſionis, & veriſimilitudinis non tamen vbique.*

In confirmationibus nimis aliquando excurrit (hoc enim fatendum eſt) & in veriſimilibus ludit argumentis M. Tullius. Demoſthenes vt plurimum magis callidus, & preſſius, & acer eſt. At verò vbi Ciceroni libet circuitus omnes ſuccidere, denſiuſque pugnare, vt in Philippicis, cum de bello, & pace, de honoribus Cæſaris agitur, nihil illo vehementius, nec in hac parte Demoſthenis virtuti cedit.

Iam peroratio, quæ corona eſt eloquentiæ, maximè verò ratione illius partis, quæ vim, amplificationemque continet, Ciceronis tota

eſt,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſt, hanc illi omnes communi conſenſu oratores tribuerunt, & nemo tantum illi honorem, qui modo iudex æquus fuerit, denegabit.

---

## *Comparantur in inuentione, diſpoſitione, elocutione.*

## CAPVT LXVI.

IN inuentionibus quidem, & diſpoſitionibus duo ſummi oratores, vel Quintiliano teſte maximè congruunt: quanquam Demoſthenis inuentio forenſium rerum limitibus, in quibus ipſe acutus erat, & ſagax, ſepta continetur, quos ille vix audet excidere, ne in alijs hoſpes, & imperitus videatur. Ciceronis verò fœcundum, & multiplex ingenium, omnia diſciplinarum genera peruagatum, longè vberiores inueniendi fontes in multis exprompit. Diſpoſitio porrò, quanquam vtrique prudens, latina tamen plus habet lucis, gratiæ, ſplendoris. Elocutione ambo, & id quidem in triplici figura præſtantes extitere, Romanus certè eò felicior, quò plus habet ingenij, quam artis: liberè enim dicendum eſt, quod Græci ipſi nō negarint. Demoſthenes, qui octies Thucididem ſua manu deſcripſerat, non nihil inde traxit moroſæ auſteritatis, & nimis putidæ diligentiæ, quæ ingenuum ſtyli florē, & lumē extinguit: quis nō videt enim iſta eſſe nōnihil detorta, violenta, quæque Thucididem oleant.

*Elocutio Demoſt. plerumque auſtera & Thucididæa.*

Πολλῶν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, λόγων γεγνομένον, ὀλίγϑ δεῖν καθ᾽ ἑκάςην ἐκκλησίαν, περὶ ὧν Φίλιππ☉ ἀφ᾽ οὗ τὴν εἰρήνην ἐποιήσατο, οὐ μόνον ἡμᾶς, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλϑς Ἕλληνας ἀδικεῖ. καὶ πάντων εὖ οἶδ᾽ ὅτι φησάντων γ᾽ ἂν εἰ καὶ μὴ ποιϑσι τϑτο, καὶ λέγειν (δεῖ) καὶ πράττειν ἅπασι προσήκειν ὅπως ἐκεῖν☉ παύσεται τῆς ὕβρεως καὶ δίκην δώσει, &c.

*Demoſth. Philipp. 3.*

Hæc ſi ex meo ſenſu reprehenderem, temerarius eſſem: ſed loquor ex mente Dionyſij Halicarnaſſei, qui Demoſthenis laudator eſt, & admirator perpetuus, hanc tamen elocutionem, affectatam, otioſam, præpoſteram agnoſcit, & ipſe Demoſthenis ſtylum reformans, ita inuertit: πολλῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι λόγων γιγνομένων καθ᾽ ἑκάςην σχεδὸν ἐκκλησίαν περὶ ὧν ἀδικεῖ Φίλιππ☉ εἰς ἡμᾶς τε, καὶ τοὺς ἄλλϑς Ἕλληνας ἀφ᾽ οὗ τὴν εἰρήνην ἐποιήσατο. Addo quod verbis plerumque obſcuris, & longiuſculè translatis oblectetur in oratione contra Medontem, quæ citatur ab Harpocratione, dixit δεκατεύσαι παρθένον decimare virginem, quod eſt conſecrare, & initiare, ducta inde metaphora, quòd decimas dijs offerrent. Opus fuit Didymi commendario ad hoc verbū intelligendum, qui de eius ſignificatione librum conſcripſit. In oratione de falſa legatione habet διακωδωνίζειν pro ἐξετάζειν. Διακωδωνίζειν, propriè eſt campana perſonare. Dixit autem pro eo, quod eſt explorare, quia pugnaces, coturnices, campanæ ſono explorare ſolebat antiquitas, vt notauit Ariſtarchus, in vſum poſtea dimanauit, & ciuitate Græca donatum eſt, audax tamen eſt, & à communi conſuetudine detortum. Similiter pro exitio βάραθρον, quo ſpecus propriè ſignificabatur, & terræ hiatus, in quem ſontes apud tribum Hippothoontidem deuoluebantur, Voraginem magis probat Cicero, quàm Charybdim, aut barathrum patrimonij, & ſimilia, vix inuenias vllum ex decem primis oratoribus, qui ita locutus ſit. In oratione contra Ariſtocratem τὸ ἀνδρολήψιον pro hominis captura, νεαλῆ pro recenter capto contra Ariſtogitonem, quod poëtis, & hiſtoricis condonandum quidem eſt, apud oratores non ſatis vſurpatum. Quale eſt illud in prima contra Coronam, quæ citatur ab Harpocratione. ἀριςοκράτους πεζεταίρους βαίνων ἐβάδιζε. Item pro Cteſiphonte νεβρίζειν & Ὕης Ἄττης Ἄττης Ὕης, quæ verba in obſcuris myſterijs vſurpata ſatis audacter, apud ſuperſtitioſum populum trahit in iocum, & ἐνθρυπτα & νεήλατα, quæ Didymo, atque Ariſtarcho faceſſunt negotium, & cætera ſimilia infinita, de quibus diſceptant Grammatici.

*Dionyſ. Halicarn. in lib. de grādi loquentia. Demoſthenis.*

*Aſpaſius quoq; Rhetore exordiū*

*orationis aduerſus Leptinē vt minus accuratū caſtigauit Demoſth. auda. dictio δεκατεῦσαι παρθένον, quod ſic apud Demoſt. Διακωδωνίζειν.*

*ἀνδρολήψιον νεαλῆς, βάραθρον, βαδίζει.*

Præterea in accentibus dictionum voluit, nonnihil innouare, cum Ἀσκληπιὸν pro Ἀσκλήπιον omnibus reclamantibus pronuntiaret, ex quo meritò ab Atticis auribus, quæ iſtam nouitatem probare non poterant, redargui meruit.

*Nouator accentuum Demoſth.*

At Cicero nobilis locutor, vt appellatur à Diuo Auguſtino, tantam, & tam germanam habuit latinitatis puritatem, vt cæterorum omnium norma extiterit, & poſteris perpetuum incorruptæ linguæ reliquerit monumentum, niſi quis fortaſſe voces aliquas, quas de induſtria eruditis ad Atticum epiſtolis, aut etiam verſibus immiſcuit, ad cenſuram vocet oratoriam, quæ ab eo vt oratore, minimè dicta

G ſunt,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſunt, nec tamen ſine vſu, & exemplo ſunt prolata.

*Comparantur in figuris.*

Quod ad figuras, & dicendi lumina attinet, multò plura, eademque illuſtriora ſunt in Cicerone; Nam quæ Demoſthene videntur inchoata, leuiuſque pertexta, apud latinum oratorem numeros omnes, & quaſi cumulum capiunt perfectionis. Dionyſius Longinus laudibus effert in cœlum ὀμοτικὸν σχῆμα Demoſthenis, quo defunctorum in Marathone animas implorauit, & per eaſdem iurauit. οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας. Videtur, inquit, Demoſthenes diuino ſpiritu afflatus in hanc figuram eripuiſſe: Quaſi verò Eupolis non hoc ipſum ante Demoſthenem dixerit in comœdia.

*Laudatiſſima Demoſth. figura ab Eupoli expreſſa Demoſth. pro Cteſiphonte.*

οὐ γὰρ μὰ τὴν Μαραθῶνι τὴν ἐμὴν μάχην
χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλγυνεῖ κέαρ.

*Cicer. in Milon.*

Sit illud vehemens, tamen ad motum conciſum eſt, quanto illud Ciceronis amplius, qui non tantum animas mortuorum, ſed tumulos, & aras, & templa, & lucos obteſtatur. Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, atque obteſtor, voſque Albanorum obrutæ aræ ſacrorum P. R. ſociæ, & æquales. Quæ ſplendidè, & grauiter ſupra Demoſthenem figurata.

Deinde affertur illa ab eodem Longino προσώπων ἀντιμετάθεσις ſeu apoſtrophe contra Ariſtogitonem, vt ingens vehementiæ, & grauitatis exemplum. Καὶ οὐδεὶς ὑμῶν χολὴν, οὐδ᾽ ὀργὴν ἔχων φανήσεται ἐφ᾽ οἷς ὁ βδελυρὸς οὗτος καὶ ἀναιδὴς ἄνθρωπος οὑτοσὶ βιάζεται τοὺς νόμους; ὃς ὦ μιαρώτατε πάντων τῶν ὄντων ἀνθρώπων, κεκλεισμένης τῆς σῆς παρρησίας οὐ κιγκλίσιν οὐδὲ θύραις, ἃ παρανοίξειεν ἄν τις ἀλλὰ τοσούτοις, καὶ τηλικούτοις ὀφλήμασι, καὶ τούτων παρὰ τῇ θεῷ κειμένων ἐς τὸ ἐντὸς τούτων βιάξῃ. (Et nemo veſtrum ſuccenſere, atque iraſci videbitur ijs, quibus execrandus ille, & impudens homo leges violat (qui) ô peſſime omnium hominum, concluſa iam tua audacia, non Clathratis foribus, quas fortè, quis aperuerit. Sed tot, & tantis multis, quæ ad ędē Deæ collocatæ ſunt, etiam intra hæc vim moliris.) Quoties Cicero cuiuſdam motus impetu abreptus intercidit narrationes, mutat perſonas, vt, Hæc ſunt, carnifex, ſepulta in gremio conſulatus tui, perſequere connexos hiſce funeribus dies. Et Philipp. 2. At ideo ædes etiam, & hortos, quæ narratiuè erant inchoata, ſtatim imperfecta adhuc ſententia relicta, præ animi æſtu, & feruore conuertit ſermonem ad Antonium. O audaciam immanem! tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare, tu illarum ædiū Dijs Penatibus os importuniſſimum oſtēdere? &c. Planè robuſta, grauia, incenſa, quibus nihil ſimile apud Demoſthenem reperies.

*Demoſt. cōtra Ariſt. l. n. 23.*

*Cic. in Piſon.*

Laudatur item illa imago, & deſcripto Procerum Philippi, & Alexandri, quæ eſt in nobili oratione pro Cteſiphonte. ἄνθρωποι μιαροὶ, καὶ ἀλάστορες, καὶ κόλακες, ἠκρωτηριασμένοι τὰς ἑαυτῶν ἕκαστοι πατρίδας, τὴν ἐλευθερίαν προπεπωκότες, πρότερον Φιλίππῳ, νυνὶ δὲ Ἀλεξάνδρῳ τῇ γαστρὶ μετροῦντες, καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν. Sed quota portio nobiliſſimæ illius deſcriptionis Catilinarij exercitus collecti, ex ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis mendiculis, ex decoctoribus, ex ijs, qui vadimonia deſerere, quā illum exercitum maluerunt, &c. vbi varios variè ſuis coloribus pingit. Ad ſummum rara illa, & admirabilis figura, quæ eſt in eadem oratione de Corona, & laudatur ab Hermogene. οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ· οὐδ᾽ ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ, οὐδ᾽ ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δέ. Num verò apud Ciceronem illuſtrior? Neque verò ſe populo ſolum, ſed etiam ſenatui tradidit: neque ſenatus modò, ſed etiam publicis præſidijs, & armis: neque his tātum, verum etiam eius poteſtati, &c. Sed de his, plenius in tractatu de figuris.

---

*Comparantur in actione, & ſucceſſu eloquentiæ.*

## CAPVT LXVII.

*Plutarch. in Demoſth.*

DEmoſthenis quidem, & Ciceronis orationes, quæ literis extant conſignatæ, multis iudicium, actio, quæ cum ipſis interijt omnibus deſiderium reliquit, quàm ſi exaratis eloquentiæ monumentis imprimere potuiſſent, minus laboraremus. Conſtat Demoſthenis actoinem initio ſatis infelicem, populoque Athenienſi inuiſam fuiſſe. Ex quo cum ſemel exploſus è foro domum ſe obucluto capite, & mœſto animo reciperet, ſequutus eſt eum Satyrus mimus, à quo comiter appellatus, & de ſuæ mœrore interrogatus, lamentari cœpit, ſe omnium oratorum laborioſiſſimum eſſe, & infe-

inſeliciſſimum, qui cùm vigorem corporis in exercitationibus eloquentiæ penè conſumpſiſſet, paſtoritia fiſtula exciperetur à populo, Nautæ verò temulenti ſuggeſtum tenerent, & regnarent in foro. Quo audito Satyrus petijt, num aliquos Euripidis, aut Sophoclis verſus teneret memoria: Et perbellè, inquit Demoſthenes, mox eum recitantem audiuit, vocemque inconditam, & vultum, & geſtum oratorijs reformauit, finxitque in melius, ex quo non mediocrem actionis fructum Demoſthenes eſt conſequutus. Quantum ſibi vim faceret, declarant illa, quòd indecorum humeri motum ſuffixo veruculo coercuerit: quòd in ſpelunca, dimidia parte capitis raſa, ad fouendam laboris aſſiduitatem abdiderit, quòd Neoptolemo mimo decem millia drachmarum dederit, vt integros verborum ambitus vno ſpiritu pronuntiaret: quòd denique calculis ore inſertis ſæpè multùm, ac diu loquutus fuerit. Hæc quidem naturæ parum felicis indicia extiterunt.

*Valer. Max. lib. 8. cap. 7. Demetr.*

Ciceroni promptior vis, & alacritas fuit, niſi quòd laterum imbecillitate nonnihil initio laborauit, quòd continua exercitatione in eloquentiæ puluere tritus, ita emendauit, vt inter omnes oratores, ſi quando multi dicerent, ad perorationem, in qua vehementiores eſſent emiſſiones, & vox contentior reſeruaretur. Vſus illi cum Roſcio Comœdo, & AEſopo tragœdiarum actore, non parùm contulit ad actionem, ſicut Demoſtheni ſatyrum perutilem fuiſſe nouerat. Credibile eſt certè ambos oratores tanto, & tam acri ſtudio, continuaque exercitatione, à qua non honorum decurſus, non ætatis flexus auocabat, ad ſummam agendi laudem effloruiſſe. Cum præſertim ad vtrumque audiendum, magni ex Græcia, totaque Italia concurſus fierent. Verùm vt in alto quoque mari grandiora piſcium corpora viſuntur: ſic M. Tullius cùm id nactus eſſet imperium, quod iiſdem quibus orbis regionibus erat definitum, ipſeque per omnia honorum curricula deuectus, ad illud tandem dignitatis faſtigium deueniſſet, quod nomine Conſulatus re ipſa dictatura extitit, longè vberiores, atque illuſtriores eloquentiæ ſucceſſus reliquit, quàm Demoſthenes, cui & vrbis fortuna contractior, & morum, rerumque geſtarum ratio, ad tantum gloriæ apicem deuenire non permiſerunt, niſi quis fortè concitatos à Demoſthene in Philippum Macedonem, tam infelici exitu concionum fluctus, cum tot clariſſimis M. Tullij rebus geſtis velit comparare. Cicero, vt ipſe iure prædicat ſenatum, & bonos omnes legis Agrariæ, maximarumque largitionum metu liberauit. Agrum Campanum conſeruauit: potentiſſimis viris, qui ſtatum reip. conuulſuri videbantur, tanquam inſano torrenti ſe obiecit, & compreſſit: Antonium ſuum collegam cupidum prouinciæ, multa in repub. molientem patientia, atque obſequio mitigauit: Catilinæ coniurationem vnam, poſt ſeptingentos fermè annos, a quibus Roma condita erat, periculoſiſſimam, atque funeſtiſſimam extinxit, & intẽtata iugulis ciuitatis tela coniuratorum nefarijs manibus extorſit. Et quod magnæ authoritatis fuit, Octauium Cæſarem adoleſcentulum exercitibus Romanis præfecit, Imperatorio titulo ornauit, Antonium Conſulem eiecit, & profligauit, de cuius ſalute iam tunc erat conclamatum, ſi Auguſtus in fide ſtetiſſet, ſed quem non potuit viuum, vltus eſt etiam mortuum, & Ciceronis cineres in Antoniorum perpetuum dedecus Cæſare ipſo, ita diſpenſante ſurrexerunt. Concludamus hunc locum cum Plinio, Te dicente legem Agrariam, hoc eſt, alimenta ſua abdicauerunt tribus: te ſuadente, Roſcio theatralis authoris legi ignouerunt, notataſque ſe diſcrimine ſedis æquo animo tulerunt: te orante proſcriptorum liberos petere puduit, tuum Catilina, fugit ingenium: tu M. Antonium proſcripſiſti. *Salue primus omnium parens patriæ appellate*, primus in toga triumphum; linguæque lauream merite, & facundiæ, Latiarumque literarum parens: atque vt Dictator Cæſar hoſtis quondam tuus de te ſcripſit, omnium triumphorum lauream adepte maiorem, quantum plus eſt ingenij Romani terminos in tantum promouiſſe, quàm imperij cæteros comparationum locos. Vide in tractatu de imitatione. Nunc Ciceronem etiam cum eminentiſſimis alijs Græcorum authoribus conferamus.

*Hæc tamen res geſtas*

*Demoſth. e: ficta aliqua Macedonica hiſtoria Lucianus exaggerat in Demoſth. encomio, ſed nimis oratoriè imo poeticè.*

*Plin. lib. 7.*

---

*Comparatur cum Thucidide.*

## CAPVT LXVIII.

TRes ſunt præcipuæ in Thucidide virtutes, quas Orator noſter non modo accuratè eſt imitatus, ſed etiam feliciter ſuperauit.

*Tres præcipuæ Thucididis virtutes.*

Prima eſt εὐγένεια, innata ſenſuum generoſitas, in quibus nihil humile, nihil demiſſum,

nihil ad plebeiam mentem deiectum. Secunda eſt ὑψηλότης quædam ab ipſa ſcilicet generoſitate defluens ſtyli celſitudo. Tertia quæ ingenij quaſi ſoli bonitatem, & ſublimes, inde ſurgentes fœtus exhilarat illuſtrium verborum delectus, quem καλλιέπειαν appellat Halicarnaſſeus.

Vis iſtam generoſitatem in dictis intueri, audi Sthenelaidæ ad Athenienſes reſponſum.

*Thucid. l.1.*

*Mira ſenſuum generoſitas in Thuci.*

Τοὺς μὲν λόγους τοὺς πολλοὺς τῶν Ἀθηναίων οὐ γιγνώσκω, ἐπαινέσαντες γὰρ πολλὰ ἑαυτοὺς, οὐδαμοῦ ἀντεῖπον ὡς οὐκ ἀδικοῦσι τοὺς ἡμετέρους ξυμμάχους, καὶ τὴν Πελοπόννησον. καίτοι εἰ πρὸς τοὺς Μήδους ἐγένοντο ἀγαθοὶ τότε, πρὸς δ' ὑμᾶς κακοὶ νῦν διπλασίας ζημίας ἄξιοί εἰσιν ὅτι ἀντ' ἀγαθῶν κακοὶ γεγένηνται. Equidem quid ſibi Athenienſes velint cum iſta verboſa oratione, non intelligo, quum enim multa de ſuis laudibus dixerint, nunquam tamen illud ſunt inficiati, à ſe ſocios noſtros, & Peloponeſum violari. Atqui ſi ſe viros bonos bello illo Medico præſtiterunt, nunc autem ijdem in nos ſunt iniurij, digni ſunt, qui dupli pœnam ſubeant, quòd à bonis moribus in malos ſunt dilapſi.

Hæc generoſè dicta. Sed nec minus generoſa ſunt multa, quæ habet Tullius in Philippicis; quale eſt illud. At beneficio ſū vſus tuo. Quanquam illud ipſum, quod commemoras ſemper præ me tuli, malui me tibi debere confiteri, quàm cuiquam minus prudenti non ſatis gratus videri. Sed quo beneficio; quòd me Brundiſij non occideris? quem ipſe victor, qui tibi vt tu te gloriari ſolebas, detulerat ex latronibus ſuis principatum ſaluum eſſe voluiſſet, in Italiam ire iuſſiſſet, hunc tu occideres: Fac potuiſſe, quod eſt aliud P.C. beneficium latronum, niſi vt commemorare poſſint ijs ſe dediſſe vitam, quibus non ademerunt.

*Cic. 2. Philipp.*

*Cic. ſplendor, & generoſitas nihil Thucididea cõcedit.*

Nihil generoſius hac oratione fingi poteſt. Infinita ſunt ſimilia. Sublimitas Thucididis maximè apparet in oratione Periclis, de non cedendo Lacedemonijs, in Platæenſium apologia, in conſolatione Niciæ, ad exercitum. Vbi ſtrenuus ille imperator, inter ſummas lacerati exercitus acerbitates ægrè trahens ſpiritum, ſic incipit. Ἔτι μὲν καὶ ἐκ τῶν παρόντων, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ ξύμμαχοι ἐλπίδα χρὴ ἔχειν ἤδη τινὲς καὶ ἐκ δεινοτέρων ἢ τοιῶνδε ἐσώθησαν. Μηδὲ καταμέμφεσθαι ἡμᾶς ἄγαν αὐτοὺς μήτε ταῖς ξυμφοραῖς, μήτε ταῖς παρὰ τὴν ἀξίαν κακοπαθείαις, &c. Quæ Græcè, & Latinè retulimus ſuo loco, vbi quæ de Deo, & eius prouidentia obiter immiſcet, faciunt grauem, & amplam ſenſibus orationem. Sed quæ ſequuntur etiam verborum delectu, & compoſitione, planè ſunt magnifica. οἱ μὲν πολλοὶ τῶν ἐνθάδε εἰρηκότων ἤδη ἐπαινοῦσι τὸν προσθέντα τῷ νόμῳ τὸν λόγον τόνδε ὡς καλὸν ἐπὶ τοῖς ἐκ πολέμων θαπτομένοις ἀγορεύεσθαι αὐτόν. &c. Ciceronis verò ſenſuū celſitudo, epicherematumque denſitas maximè in Philippicis elucet; Καλλιέπεια eum, illo nata eſt. Hæc illi cum Thucidide communia.

*Ciceronis celſitudo.*

*Καλλιέπεια.*

At ſunt in Thucidide vitia permulta, vt animaduertit Halicarnaſſeus, quibus Ciceronis puritas nullo modo inficitur. Hic Cadmo Mileſio, Ariſtæo Proconeſio, & cæteris ſuperuenieas, propriam quandam dicendi formam ab alijs non animaduerſam, primus in hiſtoriam induxit. Primum in electione verborum cuique genti peculiarem, & obſoleram, ac peregrinam dictionem, quæ tamen in ſuo genere pulchritudinem haberet, communi, ſuoq; tempore vſitatæ linguæ antepoſuit. In iungendis autem, atque inter ſe aptandis maioribus, & minoribus particulis, grandem, auſteram, aſperam compoſitionem pro ſuaui, molli, & polita conſectatus eſt. In figuris verborum adhibendis, quibus imprimis vetuſtiores ſuperare contendebat, putidam diligentiam poſuit, vt qui totos viginti ſeptem annos in octo libris, quos ſolos reliquit elaborandis conſumpſit. Quos certè ſurſum, deorſum voluitans, ſingulaſque locutionum particulas moroſius deſtimans in eam incidit infelicitatem, ſimilibus ingenijs perquam familiarem, vt multa præpoſterè diceret, inuerteret, obſcuraret, perplexoſque, & inextricabiles dictionum texerer labyrinthos.

*Thucidid. vitia quibus Cicero caruit*

*Infelix nimia diligētia.*

In Cicerone nihil ſimile; verba ſiquidem habet pura, nitida, ſonantia, obſcuras archaiſmorum ineptias, quaſi ſcopulos fugit. Compoſitionem texit delicatam, ſuauem, floridam; Et quod maximum eſt, in toto orationis or-naturalis eſt, vt nihil anxiè, & putidè dicat, ſed quaſi argenteam venam naturali impetu ebullientem, & nunquam interſiſtentem videas.

Com-

## *Comparatur cum Platone.*

## CAPVT LXIX.

*Platonis & Ciceronis ſimilitudo in quinque virtutibus eloquentiæ.*

PLatonis ſe imitatorem maluit, quàm Thucididis M. Tullius, vt apparet ex multis locis, & certè feliciter admodum eſt imitatus. Primum vtrique commune eſt ὑψηλὸν, maieſtas quædam orationis, quæ aptè, & congruè in magnis rebus verſatur. Secundum εὔχαρι ſtyli florida, & delectabilis amœnitas. Tertium, diſtributio, quæ in vtroque prudens, & clara. Quartum ἦθος, morũ, & affectuum inſignis expreſſio, cuius vterque ſummus eſt artifex. Ad ſummum βόστρυχοι τῶν λόγων, orationis delicati quidam cincinnuli, quibus vterque mirificè eſt delectatus. Nam Plato, vt teſtatur Dionyſius Halicarnaſſeus, octogeſimum etiam annum agens διαλόγους ἐβοστρύχιζε. Sæpe autem ita concurrunt, vt ouum ouo non ſit magis ſimile, quàm Platonis, & Ciceronis oratio, quinetiam hic ex illo (ita affectabat) multa euertit, qualis eſt illa peroratio Socratis.

### PLATO.

*Plato in Apologia Socratis.*

Δυοῖν γὰρ θάτερόν ἐστι τὸ τεθνάναι. ἢ γὰρ οἷον μηδὲν εἶναι, μηδὲ αἴσθησιν μηδεμίαν μηδενὸς ἔχειν τὸν τεθνεῶτα, ἢ κατὰ τὰ λεγόμενα μεταβολή τις τυγχάνει οὖσα, καὶ μετοίκησις τῆς ψυχῆς, τοῦ τόπου τοῦ ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον. Καὶ εἴτε δὴ μηδεμία αἴσθησίς ἐστιν, ἀλλ' οἷον ὕπνος, ἐπειδάν τις καθεύδων μηδὲ ὄναρ μηδὲν ὁρᾷ, θαυμάσιον κέρδος ἂν εἴη ὁ θάνατος. ἐγὼ γὰρ ἂν οἶμαι εἴ τινα ἐκλεξάμενον δέοι ταύτην τὴν νύκτα ἐν ᾗ οὕτω κατέδαρθεν, ὥστε μηδὲ ὄναρ ἰδεῖν, καὶ τὰς ἄλλας νύκτας τε καὶ ἡμέρας τοῦ βίου τοῦ ἑαυτοῦ ἀντιπαραθέντα ταύτῃ τῇ νυκτὶ, δέοι σκεψάμενον εἰπεῖν, ὁπόσας ἄμεινον καὶ ἥδιον ἡμέρας καὶ νύκτας ταύτης τῆς νυκτὸς βεβίωκεν ἐν τῷ ἑαυτοῦ βίῳ, οἶμαι ἂν μὴ ὅτι ἰδιώτην τινα, ἀλλὰ τὸν μέγαν βασιλέα εὐαριθμήτους ἂν εὑρεῖν αὐτὸν ταύτας πρὸς τὰς ἄλλας ἡμέρας καὶ νύκτας. εἰ οὖν τοιοῦτον ὁ θάνατός ἐστι κέρδος ἔγωγε λέγω, καὶ γὰρ οὐδὲν πλεῖον ὁ πᾶς χρόνος φαίνεται οὕτω δὴ εἶναι ἢ μία νύξ. εἰ δ' αὖ οἷον ἀποδημῆσαί ἐστιν ὁ θάνατος ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον, καὶ ἀληθῆ ἐστι τὰ λεγόμενα, ὡς ἄρα ἐκεῖ εἰσι πάντες οἱ τεθνεῶτες τί μεῖζον ἀγαθὸν τούτου εἴη, ὦ ἄνδρες δικασταί, εἰ γάρ τις ἀφικόμενος εἰς ᾅδου ἀπαλλαγεὶς τουτωνὶ τῶν φασκόντων δικαστῶν εἶναι εὑρίσει τοὺς (ὡς ἀληθῶς) δικαστὰς, οἵπερ καὶ λέγονται ἐκεῖ δικάζειν Μίνως τε καὶ Ῥαδάμανθυς καὶ Αἰακὸς, καὶ Τριπτόλεμος, καὶ ἄλλοι ὅσοι τῶν ἡμιθέων δίκαιοι ἐγένοντο ἐν τῷ ἑαυτῶν βίῳ, ἆρα φαύλη ἂν εἴη ἡ ἀποδημία ἢ αὖ Ὀρφεῖ συγγενέσθαι, καὶ Μουσαίῳ, καὶ Ἡσιόδῳ, καὶ Ὁμήρῳ ἐπὶ πόσῳ ἄν τις δέξαιτο ἂν ὑμῶν. ἐγὼ μὲν γὰρ πολλάκις ἐθέλω τεθνάναι εἰ ταῦτά ἐστιν ἀληθῆ ἐπεὶ ἔμοιγε καὶ αὐτῷ θαυμαστὴ ἂν εἴη ἡ διατριβὴ αὐτόθι ὁπότε ἐντύχοιμι Παλαμήδῃ καὶ Αἴαντι τῷ Τελαμῶνος καὶ εἴ τις ἄλλος τῶν παλαιῶν, διὰ κρίσιν ἄδικον τέθνηκεν. &c.

### CICERO.

*Non reddit vt interpres, ſed vt orator.*

Magna me ſpes tenet benè mihi euenire, quòd mittar ad mortem, neceſſe eſt enim ſit alterũ de duobus, vt aut ſenſus omnino mors omnes auferat, aut in alium quendam locum ex his morte migretur. Quamobrem ſine ſenſu extinguitur, morſque ei ſomno ſimilis eſt, qui nonnunquam etiam ſine viſu ſomniorum placatiſſimam quietem affert: Dij boni, quid lucri eſt emori? aut quàm multi dies reperiri poſſunt, qui tali nocti anteponantur, cui ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis temporis, quis me beatior? ſin vera ſunt, quæ dicuntur, migrationem eſſe mortem in eas oras, quas qui è vita exceſſerunt, incolunt: id multo iam beatius eſt, te cum ab ijs, qui ſe iudicum numero haberi volunt, euaſeris, ad eos venire, qui verè iudices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, AEacum, Triptolemum, deuenireque eos, qui iuſtè, & cum fide vixerint. Hæc peregrinatio mediocris vobis videri poteſt? vt verò colloqui cum Orpheo, Muſæo, Homero, Heſiodo licet, quanti tandem æſtimatis? Equidem ſæpè emori, ſi fieri poſſet, vellem, vt ea quæ dico mihi liceret euenire. Quanta autem delectatione afficerer, cum Palamedem, cum Aiacem, cum alios iudicio iniquorum circumuentos conuenirem. Hæc ex Platone, vt vides ferè ad verbum expreſſa, neſcio quo pacto tamen noſter virilius ſe, rotundiuſque expedit.

*Cic oratio minus habet lætitudinis.*

## P L A T O.

*Plato in Phedro.*

Item πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος· τὸ γὰρ ἀεικίνητον ἀθάνατον, τὸ δὲ ἄλλο κινοῦν, καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχει ζωῆς. μόνον δὴ αὐτὸ κινοῦν ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτὸ οὔποτε λήγει κινούμενον. ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως, ἀρχὴ δὲ ἀγέννητον. ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑνός. εἰ γὰρ ἐκ τοῦ ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. ἐπειδὴ δὲ ἀγέννητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι. ἀρχῆς γὰρ ἀπολομένης οὔτ' αὐτή ποτε ἐκ τοῦ, οὔτ' ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι.

## C I C E R O.

*Cic. Tuſc. 1.*

Quod ſemper mouetur, id æternum eſt. Quod autem motum affert alicui, quodque ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, viuendi quoque finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur quod ſe ipſum mouet, quia nunquam deſeritur à ſe, nunquam ne moueri quidem deſinit. Quinetiam cæteris, quæ mouentur, hic fons, hoc principium eſt mouendi. Principij autem nulla eſt origo. Nam ex principio oriuntur omnia, ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt, nec enim id eſſet principium, quod gigneretur aliunde. Quòd ſi nunquam oritur, ne occidit quidem vnquam, nam principium extrinſecum, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec à ſe aliud creabit, ſi quidem neceſſe eſt à principio oriri omnia. Hæc quidem, & ſexcenta ſimilia poſſunt comparari, in quibus Plato, & Cicero mirificè congruunt.

*Platonis, & Cicer. diſſimilitudo.*

Et certè Plato vbi ſimplex, & facile, ſuaque veluti ſponte fuſum dicendi genus ſectatur, dici non poteſt, quàm ſuauis, & humana eſt eius oratio, è qua tanquam è prato fragrantiſſimo, ſuauis quædam afflatur aura, & neque vocis ſonitus præ ſe fert loquacitatem, neque ornatus inſolentiam. Cum autem ad redundantiam quandam immenſo ſpiritu ferri cœpit, multo ſe deterior pleriſque videtur. Nam & minus ſuauis eſt, & peius græcè loquitur, perſpicuitatem quoque obſcurat, circuitus verborum trahit, in circumlocutiones effunditur, vanas orationis diuitias oſtentat: Verbis proprijs, & quæ ſunt in communi vſu poſita neglectis, nouata, peregrina antiqua inquirit, durus eſt in tranſlationibus, intempeſtiuè ludit in figuris, locutionibus Poeticis audacius abutitur, vt cenſet Dionyſius Criticus in epiſtola ad Pompeium, quæ quidem labeculæ longè à Cicerone abſunt.

*Vitia quædam Platonis à Dionyſio Halicar[n.] animaduerſa.*

Licet hoc in Phædri initio agnoſcere. Ὦ φίλε Φαῖδρε ποῖ δὴ καὶ πόθεν; παρὰ Λυσίου ὦ Σώκρατες τοῦ Κεφάλου. πορεύομαι δὲ πρὸς περίπατον ἔξω τείχους, συχνὸν γὰρ ἐκεῖ διέτριψα χρόνον καθήμενος ἐξ ἑωθινοῦ: Hæc plena germanæ ſuauitatis. Mox veluti ex ſereno excitatus vehemens flatus puritatem dictionis diſturbat, & in Poëticam ἀπειροκαλίαν rapit, cum Muſas inuocans agit iam non Platonem, ſed Homerum. Ἄγετε δὴ ὦ Μοῦσαι (inquit) εἴτε διὰ ᾠδῆς εἶδος λιγεῖαι, εἰ διὰ γένος τὸ Λιγύων μουσικὸν, ταύτην ἔχετε τὴν ἐπωνυμίαν, ξύμμοι λάβεσθε τοῦ μύθου. Iam agite Muſæ dulces, ſiue propter cantus ſpeciem, ſiue propter Lygyûm gentem muſicam, hoc nomen obtinuiſtis meum adiuuate ſermonem.

*Lygyes nomen gentis cuius meminit Herodot. l. 7. errauit interpres, qui ſtridularū eſt interp[re]tatus.*

Hæc quidem à ciuili ſermone ſunt aliena, ſed tamen immeritò à Dionyſio Plato carpitur, & ſugillatur, cùm dicat ſe εὐροίᾳ τινι εἰλημμένον παρὰ τὸ εἰωθός, hoc eſt, profluuio quodam mentis, hæc præter cõſuetudinem effundere. Parciores ſunt in iſtis, qui ſtyli mediocritatem, & temperiem ſectantur.

*Aliud diſcrimē inter Platonem, & Ciceronem.*

Aliud præterea diſcrimen inter Platonem, & Ciceronem manifeſtum eſt, quod illius, quas in orationibus habet adhortationes, ſuaſiones, querimoniæ, confutationes (nam & hoc genus attigit) plus pompæ habeant, & phalerarum, minus pugnæ, & neruorum. Itaque ſi conferantur orationes Platonis cum Ciceronianis, illæ quidem ſimiles videntur agro florido, delicatis vndique ſpectaculis ad oculorum delicias abundanti, hæc verò terræ frugiferæ, quæ ita rebus ad vitam neceſſarijs affluit, vt voluptuarijs non indigeat. Sit hoc exemplum, Vterque, ſcilicet Plato in Menexeno, & Cicero 1. Philip. hortatur iuuenes ad veram gloriam, quam non in pulchritudine, aut diuitijs, aut potentia, ſed in exprimendis maiorum virtutibus ſitam eſſe aſſerunt.

## P L A T O.

Plato ſic ſe inſinuat. Ὦ παῖδες, ὅτι μέν ἐστε πατέρων ἀγαθῶν, αὐτὸ μηνύει τὸ νῦν παρόν.

Tum

*Plato in Menexeno.* Tum, χρὴ οὖν μεμνημένους ἡμετέρων λόγων, ἐάν τι καὶ ἄλλο ἀσκῆτε, ἀσκεῖν μετ' ἀρετῆς. εἰδότας ὅτι τούτου λειπόμενα πάντα καὶ κτήματα, καὶ ἐπιτηδεύματα, αἰσχρὰ καὶ κακά. οὔτε γὰρ πλοῦτος κάλλος φέρει τῷ κεκτημένῳ· μετ' ἀνανδρίας, ἄλλῳ γὰρ ὁ τοιοῦτος πλουτεῖ καὶ οὐχ ἑαυτῷ. οὔτε σώματος καὶ ἰσχὺς δειλῷ καὶ κακῷ ξυνοικοῦντα πρέποντα φαίνεται, ἀλλ' ἀπρεπῆ, καὶ ἐπιφανέστερον ποιεῖ τὸν ἔχοντα, καὶ ἐμφαίνει τὸν δειλίαν. πᾶσά τε ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς πανουργία, οὐ σοφία φαίνεται. Ὧν ἕνεκα καὶ πρῶτον, καὶ ὕστατον, καὶ διὰ παντὸς πᾶσαν πάντως προθυμίαν πειρᾶσθε ἔχειν ὅπως μάλιστα μὲν ὑπερβαλεῖσθε, καὶ ἡμᾶς, καὶ τοὺς πρόσθεν εὐκλείᾳ, & cæt. Ad ſummum concludit, Καὶ ἐὰν μὲν ταῦτα ἐπιτηδεύσητε φίλοι παρὰ φίλους ἡμᾶς ἀφίξεσθε ὅταν δὴ ὑμᾶς ἡ προσήκουσα μοῖρα κομίσῃ, ἀμεληθέντας δὲ ὑμᾶς καὶ κακισθέντας οὐδεὶς εὐμενῶς ὑποδέξεται. Hæc eſt, Quod ex præclaris orti eſtis parentibus, ô filij, præſentia teſtantur. Tum oportet igitur vos verborum noſtrorum memores, ſi quid aliud exerceris cum virtute exercere, ſcientes abſque virtute omnia ſtudia, & fortunas turpes, malaſque eſſe. Diuitiæ namque ſplendorem afferunt nullum eas cum ignauia poſſidenti, neque enim ſibi hic, ſed alteri parat, poſſidetque diuitias. Neque forma corporis, atque robur timido, & prauo cum inſunt, decorem præſtant, eum namque dedecent, notiorem efficiunt, ignauiamque patefaciunt. Præterea ſcientia, quæ eſt remota à iuſtitia, aliaque virtute, non ſapientia, ſed calliditas eſſe videtur. Quas ob res omni ſtudio, diligentiaque contendite, vt & nos, & maiores noſtros virtutis gloria ſuperetis. (Ad ſummum) Si obſequuti fueritis Chari ad Charos, poſt exactum vitæ curriculum migraturi eſtis, ſi autem neglexeritis, omnis vos poſteritas auerſabitur. Hæc & ſimilia Græcè præſertim florida ſunt, & culta, ſed quanto hæc acriora.

## CICERO.

Credo enim vos homines nobiles, magna quædam ſpectantes, non pecuniam (vt quidam nimis creduli ſuſpicantur) quæ ſemper ab ampliſſimo quoque, clariſſimoque contempta eſt, non opes violentas, & P. R. minimè ferendam potentiam, ſed claritatem ciuium, & gloriam concupiſſe. Ea autem eſt gloria, laus rectè factorum, magnorumque in rempub. meritorum, quæ cum optimi cuiuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur, &cæt. quæ hic fuse. Tum conuerſus ad Antonium, quare flectere te quæſo, & maiores tuos reſpice, atque ita guberna rempub. vt natum eſſe te ciuem tui gaudeant: ſine quo, nec beatus, nec clarus eſſe quiſquam poteſt. Priora arma ſunt pomparum, & ludi, hæc pugnæ, & lacertorum.

*Cic. Philipp. 1.* *Platonis exhortatio ſimilis eſt oleo, & paleſtræ Ciceronis ferro, armorumque fulgori.*

---

*Comparatur cum Lyſia.*

## CAPVT LXX.

LYſie vna virtus eſt familiariſſima χάρις, καὶ εὐσομία. Ingenua quædam gratia, & rotunditas, quæ in eius orationibus perpetuo ſpirat ſine fuco, & calamiſtris, naturali, eoque ſimplici habitu contenta. Huiuſmodi ſunt illa.

*Lyſiæ virtus vna præcipua χάρις.*

## LYSIAS.

Δειπνήσαντες οὖν ἤδη συσκοτάζοντος ἐλθόντες κόπτομεν τὴν θύραν. οἱ δ' ἡμᾶς ἐκέλευον εἰσιέναι. ἐπειδὴ δ' ἔνδον ἐγενόμεθα ἐμὲ ἐκβάλλουσιν οἰκίας, τοῦτον δὲ συναρπάσαντες ἔδησαν πρὸς τὸν κίονα: καὶ λαβὼν μάστιγά τις ἐντείνας πολλὰς πληγὰς εἰς οἴκημα αὐτὸν καθεῖρξε. καὶ οὐκ ἐξήρκεσεν αὐτῷ ταῦτα μόνον ἐξαμαρτεῖν, ἀλλὰ ἐζηλωκὼς τῶν μὲν νέων τοὺς πονηροτάτους ἐν τῇ πόλει, νεωστὶ δὲ τὰ πατρῷα παρειληφὼς, καὶ προσποιούμενος νέος, καὶ πλούσιος εἶναι πάλιν τοὺς οἰκέτας ἐκέλευσεν ἡμέρας ἤδη γενομένης πρὸς τὸν κίονα αὐτὸν δήσαντας μαστιγοῦν. Nos igitur ſumpta cœna, cùm iam aduesperaſceret, ad eum digreſſi pulſamus fores, illi continuò iubent nos ingredi. Poſtquam introducti fuimus me quidem primum extrudunt ædibus, hunc autem raptum ad columnam alligant, nec mora arrepto quis flagello, multiſque plagis impoſitis hunc in ergaſtulum concluſit. Neque ſatis illi fuit hæc audacia, ſed flagitioſiſſimos totius ciuitatis iuuenes imitatus, vt qui nuper accepto patrimonio ſe benè nummatum adoleſcentem fingeret,

geret,iterum per domeſticos lorarios, cùm iã illuceſceret, miſerum ad columnam alligatũ iubet virgis cædi.

Is eſt Lyſiæ ſtylus, & penè continuus tenor. Hæc rotunditas Ciceroni non deeſt. Sumatur exemplum ex 4. ad Herennium planè Lyſiaco charactere ſignatum. Nam vt fortè hic in balneas venit, cœpit poſtquam perfuſus eſt defricari. Deinde vbi viſum eſt, vt in alueum deſcenderet, Ecce tibi iſte de tranſuerſo, heus (inquit) adoleſcens pueri tui modo me pulſauerunt: ſatisfacias oportet. Hic qui id ætatis ab ignoto, præter conſuetudinem appellatus eſſet, erubuit. Iſte clarius, eadem, & alia dicere cœpit. Hic vix tandem (inquit) ſine me conſiderare. Tum verò iſte cœpit clamare voce iſta, quæ facilè cuiuis rubores elicere poſſet. Ita petulans es, atque acer, vt ne ad ſolarium quidem idoneus, ſed penes ſcenam, & in eiuſmodi locis exercitus ſis. Conturbatus eſt adoleſcens, nec mirum, cui etiam nunc pædagogi lites ad auriculas verſarentur, imperito huiuſmodi conuiciorum. Item.

*Lyſiaci characteris in Cicerone exemplum.*

## *CICERO.*

Præparatis idoneis locis inſtrumentum, & ſuppellectilem diſtribuere cœpimus, ac primum ea ſecreuimus, quibus ad res diuinas vti ſolemus: Poſtea mundum muliebrem, qui ad dies feſtos comparatur: Deinde virilem: Item dierum ſolemnium ornatum. Nec minus calceamenta vtrique ſexui conuenientia: Tum iam ſeorſum arma, ac tela ſeponebãtur, & in altera parte inſtrumenta, quibus ad lanificia vtuntur, poſt quæ ad cibum conficiendum vaſa, vt aſſolent, conſtituebantur: Inde quæ ad lauationem, quæ ad exornationem, quæ ad menſam quotidianam, atque epulationem pertinerent, exponebantur.

*Cic. apud Columell. l.12.c.2.*

Quæ ſequuntur ſupra Lyſiam.

Cùm ad Cyrum minorem regem Perſarum præſtantem ingenio, atque imperij gloria Lyſander, Lacedæmonius vir ſummæ virtutis, veniſſet Sardis, eique dona à ſocijs attuliſſet, & cæteris in rebus comis erga Lyſandrum, atque humanus rex fuit, & ei quendam conſeptum agrum, diligenter conſitum oſtendit. Cùm autem admiraretur Lyſander, & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, atque puram, & ſuauitatem odorum, qui afflaretur è floribus, tum dixit: Mirari ſe non modò diligentiam, ſed etiam ſolertiam eius, à quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta. Et Cyrus reſpondit: Atqui ego iſta ſum omnia dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio: Multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſitæ. &cæt.

*Cic. longè plus habet floris quam Lyſias.*

Nihil eſt in toto Lyſia cum his dicendi veneribus comparandum. Iam in hoc maximè differunt, quòd Lyſias, vt Archytæ Columba quandiu vires inditæ patiuntur, ſurſum quidem volat, at ſi contendit altius, mox exhauſtus corruit, & ad terram alliditur. Itaque in exordijs, & attenuatis illis narrationibus, vt notat Halicarnaſſeus, quaſi leni Auſtro fertur, & exultat. Mox in demonſtrationibus, & exornationibus langueſcit, in affectibus prorſus extinguitur, ex quo infinitis virtutibus, quas ſupra commemorauimus, à Cicerone facili negotio obruitur.

*Diſcrimen Ciceronis & Lyſiæ. Lyſias Archytæ Columba.*

---

### *Comparatur cum Iſocrate.*

## CAPVT LXXI.

ISocratis quoque permagnus amator, & fœlix imitator extitit M. Tullius, nec mirum, ſunt enim illi Rhetori quam eximiæ virtutes. Prima eſt σεμνότης, decora quædam maieſtas, quàm illi totum corpus orationis grande, & numeroſum, variæque intermicantes ſententiæ conciliant. Altera εὐμορφία ex nominum delectu, iunctura, figurarumque ornatu conſurgens quædam formoſitas, vt mihi plerumque ſtylus eius videatur, non diſſimilis vineæ illi aureæ Regum Perſarum, quam racemi ex varia margaritarum opulentia confecti, mollibus corymbis in ſerpentem diſcolore ornatu veſtiebant. Eius verò vis potiſſimum in Panegyricis elucet, quarum orationum præclarus eſt artifex, & cum paucis comparandus, quanquam etiam in hoc genere Cicero non cedit. Subijciam ex vtroq; locos quam ſimillimos, vt facilius vis oratorum dignoſci poſſit. Cicerò pro Marcello laudes effert clementiæ, quàm bellicis rebus anteponit, quòd hæ quidem multorum ſint communes, illa vnius propria, & certa ſit gloria. Hæc ab Iſocrate decerpſit, cuius apud Philippum regem hæc ſunt verba.

*Iſocratis virtutes.*

*Iſocratis ſtylus vinea aurea.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## ISOCRATES.

Πολὺ γὰρ κάλλιόν ἐστι τὰς εὐνοίας τὰς τῶν πόλεων αἱρεῖν ἢ τὰ τείχη. τὰ μὲν γὰρ οὐ μόνον ἔχει φθόνον, ἀλλὰ καὶ τούτων τὴν αἰτίαν τοῖς στρατοπέδοις ἀνατιθέασιμ. ἢν δὲ τὰς οἰκειότητας, καὶ τὰς εὐνοίας κλήσασθαι, δυνηθῇς ἅπαντες τὴν σὴν διάνοιαν ἐπαινέσουσι.

Longè enim præclarius eſt beneuolentiam ciuium capere, quàm muros. Hæc enim non modo inuidioſa ſunt, ſed & eorum cauſſam copijs militum aſcribunt. Si verò ciuium amorem, & beneuolentiam ſemel comparaueris, tuam in eo mentem omnes ſunt laudaturi.

Quanto plenius, & vehementius.

## CICERO.

Nam bellicas laudes ſolent quidem extenuare verbis, eaſque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ ſint Imperatorum: & certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multum iuuant, maximam verò partem fortuna ſibi vindicat, & quicquid eſt proſperè geſtum, id penè omne ducit ſuum. At verò huius gloriæ C. Cæſar, quam es paulo antè adeptus ſocium habes neminem. &c.

Item, vterque Principes hortatur ad gloriã, ille Cæſarem, hic Philippum.

## ISOCRATES.

Ἔστι δὲ πρὸς μὲν ἄλλους τῶν ὄντων ἀπλήστως ἔχειν, οὐ καλόμ. Αἱ γὰρ μετριότητες παρὰ τοῖς πολλοῖς εὐδοκιμοῦσι. Δόξης δὲ μεγάλης καὶ καλῆς ἐπιθυμεῖν, καὶ μηδέποτ' ἐμπίπλασθαι προσήκει τοῖς πολὺ τῶν ἄλλων διενεγκοῦσιμ.

Et in cæteris quidem rebus minimè honeſta eſt inexplebilis quædam cupiditas, cùm præſertim mediocritas multorum ſermone celebratur, gloriam verò magnam, & excellentem concupiſcere, hoc quidem Principum eſt proprium, qui cæteros quoſque longius antecellunt.

## CICERO.

Itaque præclaram illam, & ſapientiſſimam vocem tuam inuitus audiui, ſatis te diu, vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ: ſatis, ſi ita vis nature, adde etiam, ſi placet, gloriæ. At quod maximũ eſt, patriæ certè parum. (Deinde) Quid ſi iſtud ne gloriæ quidem tuæ ſatis eſt? cuius te eſſe auidiſſimum, quamuis ſis ſapiens, non negabis. Parúmne igitur, inquies, magnam gloriam relinquemus? Imò verò alijs, quam multis ſatis; Tibi vni parum. Quicquid enim eſt, quamuis amplum ſit, id certè parum eſt, tum cùm eſt, aliquid amplius. Item.

## ISOCRATES.

Οἶμαι δέ σε οὐκ ἀγνοεῖν ὃν τρόπον οἱ θεοὶ τὰ ἀνθρώπων διοικοῦσιν. οὐ γὰρ αὐτόχειρες οὔτε μετὰ τῶν ἀγαθῶμ, οὔτε τῶμ κακῶμ γίνονται τῶμ συνόντωμ αὐτοῖς. ἀλλὰ ἑκάστοις τοιαύτην ἔννοιαν ἐμποιοῦσιμ. Credo te non ignorare, quo pacto dij immortales res hominum adminiſtrent. Neque enim manum adhibent cum bonis improbiſque verſantes, ſed eam mẽtem, cuique ingerunt. & cæt.

## CICERO.

Quòd ſi cætera nos magis peruulgata mouerunt; vos ipſa Deorum immortalium non mentes omnium permouebit? Nolite enim id putare accidere poſſe, quod in fabulis ſæpè videtis fieri, vt Deus aliquis delapſus de cælo cœtus hominum adeat, verſetur in terris, cum hominibus colloquatur, & cæt. *De Aruſp. reſponſ.*

Neſcio quo pacto Cicero etiam in iſtis comparatus ſemper eſt acrior. Nec eſt quod obijcias in Iſocratæis locis epiſtolarem ſtylum, nomine enim duntaxat epiſtola eſt hæc ad Philippum cohortatio, reuera oratio eſt, nec alio charactere in orationibus vtitur Iſocrates.

Iam verò à Cicerone multis partibus ſuperatur. Primum, quia nimis laxus, & ſinuoſus eſt fermè in omnibus, quod à M. Tullio alienũ. Nam etiamſi multus ſit in amplificatione, tamen auget rebus, ſententijs, facibus, aculeis. Longè alia eſt Iſocratis laxitas, quæ meritò à Dionyſio reprehenditur, nam vbi nulla eſt amplificandi occaſio, de induſtria trahit orationẽ, vt ſuas expleat periodos. *Iſocratis vitia.*

Deinde nimis eſt paruis quibuſdam, & puerilibus figuris, numerorumque religioni addictus, in quibus vſque ad ſacietatem moleſtus eſt; Semper floridus, & theatralis, vbi minimè eſſe oportet. Tertio, vt puer Anagnoſtes, quod antea dictũ eſt, nullos motuũ habet aculeos, ex quo languida, & ἄψυχος eius fit oratio. Contraria his vitijs ornamenta, Latino oratori conueniunt. Eſt enim in amplificatio- *Iſocratis oratio ἄψυχος.*

nibus acer, & efficax, in numeris prudens, & moderatus, in affectibus rex, & triumphator. Et hæc ad commendationem Romanæ eloquẽtiæ parentis ſint allata. Cicerone de viuis ſublato, natiuus ille flos Romanæ eloquentiæ emarcuit, & occupata ab Imperatoribus republica, quæ fuctam antea grauitatis in tumida, fucatam, ancillantem denique facundiam paulatim degenerarunt. Quæſita enim tunc ad aurium delicias affectatio verborum, conciſio periodorum, & illa acumina tam crebra, quibus multa neceſſario frigida ſolent obrepere, ad ſummum effuſa in caſtam linguæ latinæ religionem peregrinitas penè omnia corrupit. Quanquam nolim ego Heroas illos Saluſtiũ, Senecam, Cornelium Tacitum, Plinium Iuniorem, & ſi qui ſunt ſimiles corruptæ eloquẽtiæ inſimulare, non patiar tamen eos à ſuis amatoribus Ciceroni, vel præferri, vel etiam æquari, quod in duobus anteſignanis oſtendam.

---

## *Comparatur cum Saluſtio.*

## CAPVT LXXII.

MAgna Saluſtij apud eruditas quaſq; aures commendatio, nam paſſim, vt *proprietatũ in verbis retinentiſſimus*, comptorum, atque integrorum ſenſuum fœcundus, concinnæ breuitatis artifex, Romanæ denique hiſtoriæ ſcriptor florentiſſimus laudatur. Quam illi palmã in manibus infringere nemo ſanus conetur. Sed neque prudens vllus rerum æſtimator fuerit, qui eundem Ciceroni adæquare velit, Niſi forte quis Cydnum fluuium non ſpatio aquarum, ſed liquore memorabilem, ſi forte leni alueo placidius manantem viderit, cum Nili magnitudine, copia, ſpecie conferendum putet. Sit ſane Saluſtius ſubtilis, acer, comptus, & in ſua breuitate plerumque felix, & luculentus: Quando tamen illam Ciceronis maieſtatem, & vim fœcundiſſimi pectoris inſtar torrentis efferueſcentem, cum ſuis licet acute vibratis ſententijs attinget? Adde quod ſtylli gloriam multis næuis infuſcauit, quos ipſa tolerare non potuit antiquitas. Auguſtus quippe Cæſar cacozelis haud mediocriter infenſus compilatas ex antiqui Catonis originibus voces illi objicit, quæ cauſa Aſinium Pollionem venuſtiſſimum oratorem mouit, vt contra Saluſtij ſtylum ſcriberet, Lenæus verò grammaticus Pompeij libertus non contentus eum Lurconem, Popinonem, ac Laſtaurum nominaſſe. *Vita quoq;, & ſcriptis monſtroſum*, ac M. Catonis verborum furem ineruditiſſimum appellant. Quanquam hominis ſtomacho, haud credendum in omnibus. Certe Gellius eum verborum nouatorem agnoſcit, & hoc nouandi ſtudiũ cum multa inuidia fuiſſe memorat: Seneca in eodem amputatas ſententias, & verba ante expectatum cadentia, & obſcuram breuitatem, quam pro cultu habuit, animaduertit, quæ profecto veriſſimè dicta ſunt, & Saluſtium legenti paſſim occurrent. Qualia ſunt illa. *Equos aſcendere, Colos exanguis. Maiores veſtrum. Oppidum valens, & opulens. Supplicia Deorum Ad bellum Perſi*, pro *Perſidis*, & ſimilia, quæ à Saluſtio ſcripta Fronto, Priſcianus, & Agretius agnoſcunt. Iam obruptæ, & ambiguæ ſententiæ, quàm crebræ ſunt in eo, & affectatæ, vt *faciant idem maioribus ſuis*, quos dixiſſet alius *Imitentur maiores ſuos*. Ea ſententia fefellit aliquos interpretes, qui ſic reddidere, *ita egerant erga eos*, voluit credo Saluſtius ἀρχαϊσμὸν illum imitari.

*Inuitum qui ſeruat idem facit occidenti.* Item *Qua poſtquam glorioſa modo, neq; belli patrandi cognouit* Significare voluit, ad bellum patrandũ minime pertinere. Huius breuitatis ſtudio nonnulla plerumque à Thucidide, & Demoſthene accepta, quanquam ſatis conciſè dicta, cogit in loquendi compendium, quo fit, vt eius ſententiæ nimis amputatæ ſint, & exiles. Demoſthenes Olynth. 2. ſcripſit. Αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι, καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη εἰ δὲ τι πταίσειε τότε ἀκριβῶς αὐτοῦ πάντα ἐξετασθήσεται, quod ille per concinnam periodum ad maiorem perſpicuitatem, & grauitatem extulit, Saluſtius amputans reddit. *Secundæ res mirè ſunt vitiis obtentui.* Quæ omnia ſi rectè perpendantur, longè à Ciceronis felicitate, nitore, atque elegantia diſcedunt.

---

## *Comparatur cum Seneca.*

## CAPVT LXXIII.

DVo poſt homines natos arbitror, apud Romanam gentem extitiſſe ſumma, & propè diuina in rebus humanis ingenia, Ciceronis, & Senecæ, quanquam in diuerſo, vt apparet, genere nituerunt. Vtrique mens ampla, præcelſa, & (vt cum Plinio loquar) quodam igne volucris,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cris, vtrique nobilis eruditio, & Græcarum diſciplinarum notitia non vulgaris, vtriuſque ſtylus latè peruagatus omnia penè nobiliſſimarum artium complexus eſt monumenta. Sed cùm in varia tempora incidiſſent, magnã quoque dicendi varietatem tenuerũt, & in ſuo quiſque genere ſummus fuit, & inuictus. Illius ad concionum plauſus, & fluctus compoſita, vt plurimum oratio: Huius ad aulicum palatum facta ponderoſa ſobrietas. Ille longè, lateque perſultans, magno ſonitu, curſuque fertur. Hic redundantem vim mentis, breuibus veluti ſententiarum cancellis circumſcribit. Ille cùm videret plurimum vbertati honorem, plurimum etiam pompæ deferri, laciniosos, & fluentes ambitus conſectatur. Hic cum luxuriem verborum, lentoſque exitus in principatu animaduerteret non placere, preſſa quædam, & ſelecta rerum iudicia verborum globulis comprehenſa ſolertiſſimè perſtringit. Ille ſuperbè graditur, nihil tentat niſi magnum, graue, excelſum, verba ſeligit pulchra, ſonantia, luculenta; ſenſus habet altius ductos, & magnificos, ſed ad popularium aurium captus diffuſos, ſpiritus rerum grauiſſimarum calidos, acres, incenſos, quibus eloquentia efferueſcit, volitat, igneſcit, penetrat in pectora, mollit animos quamuis feros, & intractabiles, vt ſparſi in terras Solis radij, vapores, & habitus extrahunt in ſublime, ſic ille grandis eloquentiæ luce circumfuſus, mentes excitat, educit, & cogit, ad ſummum quicquid vult imperat. Hic graues, & à plebeijs auribus remotas conquirit ſententias, has diſtricta quadam, & concinna breuitate compingit, totus dictis eruditis, vt auro veſtris rigeſcit, anguſtatur in ſeria quædam acumina, quæ audientis aurem vellicant, animum perpetuò erigunt, perpetuò fodicant, atque extimulant. Indita eſt enim illis quædam vis præpotens, & inuicta, quæ pectus ferit, quanquam ex abdito, nec remittit, antequam reliquerit aculeum. Si argumentatur, conuincit; ſi petit, extorquet; ſi ſuadet, perſuadet; ſi pugnat, expugnat; ſi rogat, impetrat, quaſi imperet. Ad ſummum vt matrona nobilis ſolemni die præcultè veſtita, muliebri mundo nitens, & ambitioſo ſyrmate luxurians prodit in publicum: Sic ille magnifico præfulgens ornatu, ſpecioſis, & collucentibus figurarum gemmis illuminatus, circumductis inſuper verborum, & periodorum veluti lacinijs effluens, in illo ſublimi eloquentiæ theatro pompas ducit planè admirabiles. Alter vt vir elegans byſſo veſtitus, & purpura, pulchriſque margaritis lucens, non ambitioſæ orationis ductu, ſed pondere, pulcherrimas rerum grauiſſimarum amplectitur ſententias. Quid quæris? vterque in eo, quod excoluit genere felix prorſus, & admirabilis. Sed cum in Cicerone gemina fœcundiori quodam vbere ſeſe promat eloquentia, vna quidem popularis amplior, & diffuſior, Altera ſenatoria grauis, & ſubſtricta, qualis in Philippicis eſſe ſolet. Credibile eſt hominem ad omne genus eloquentiæ natum potius, quàm factum, altera dicendi forma potuiſſe, ſed conſultò noluiſſe. Senecam laxum ſtyli characterem minime voluiſſe certum eſt, an potuerit, incertum; cùm nullum eius ſpecimen reliquerit.

*Finis libri primi.*